



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**EVANGE=||LIA || QVAE CONSVETO || MORE DOMINICIS ET ||  
alijs Festis diebus in Eccle-||sia leguntur**

**Aemilius, Georg**

**COLONIAE, 1555**

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69317](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69317)




Tragula an vishabaam  
 Duplurium an vishabaam  
 Naga an vishabaam  
 Ames an vogalblaam  
 Carea an vogalblaam  
 Alucus an Trog  
 Novacula an vishabaam  
 Lacabus an vishabaam  
 Moxarium an Moxar  
 Pichilus an vishabaam  
 Lechilus an vishabaam  
 Situla an vishabaam  
 Malturium an vishabaam  
 Lukturium an vishabaam  
 Fideia an vishabaam  
 Botulus an vishabaam  
 Tomasilum an vishabaam  
 Ollium an vishabaam  
 Colobrum an vishabaam  
 Serum an vishabaam  
 Serum Butyrium an vishabaam  
 Merum an vishabaam  
 Emunctarium an vishabaam  
 Cereus an vishabaam  
 Pitium an vishabaam  
 Fraqula an vishabaam  
 Achanthe an vishabaam  
 Bara an vishabaam  
 Ciumula an vishabaam  
 Moxilla an vishabaam  
 Pygareus an vishabaam  
 Moxus an vishabaam  
 Crabs an vishabaam  
 Pyrolampis an vishabaam  
 Cicada an vishabaam  
 Alura an vishabaam

Pater et obitura dolor hic  
 tibi proderit olim  
 Quia in Pater  
 radupala radupala  
 Qua nocent dovent  
 Aras viciis isit ex oia adinuit  
 alla viciis adinuit vishabaam 8 88  
 Alia viciis vishabaam est, non qui nihil  
 iniuste agat, sed qui, cum iniuste  
 agere patet, tamen non vult  
 Patermon

Th. 5831.





EVANGELIA

QVAE CONSVETO  
MORE DOMINICIS ET  
*alijs Fests diebus in Eccle-  
sia leguntur,*

HEROICO CARMINE A M.  
GEORGIO AEMILIO  
*reddita.*


ADIECTIS BREVIBVS AR-  
*gumentis & Imaginibus artificiosè sculptis,*

*Ex ipsius authoris recognitione multò castigatiùs quàm  
ante hac èdita.*

MATTH. VI.

*Querite mortales primùm caelestia regna,  
Hinc reliquæ uobis adijcientur opes.*

COLONIAE  
Anno M. D. LV.



C  
E T  
do  
Ba



geli  
tion  
con  
enir  
pita  
non  
pos  
clar  
um  
dist

# CLARISSIMO SIMVL

ET OPTIMO VIRO, SVMMA  
doctrina, & uirtute præstanti, D. Ioanni  
Bacchouio Echtio Colonienſi, Medicinæ  
Doctori peritiſſimo, patrono &  
amico ſummo Georgius  
Aemilius.

S. D. P.



**V**TILI cōſilio quondā à pri  
mis Eccleſiæ Chriſtiane do-  
ctoribus inſtitutū eſſe uideſ-  
tur, ut ſingulis diebus Domi-  
nicis ac Ferialibus, in publi-  
co cœtu Eccleſiæ certa quæ-  
dam membra uel partes Euā

gelicæ hiftoriæ proponantur: ex quarum explica-  
tione populus certam aliquam doctrinam animo  
concipere, domumq; ſecum auferre poſſet. Cū  
enim multa ſint eademq; uaria Chriſtiane fidei ca-  
pita, per totam hinc inde ſcripturam ſparſa, quæ  
non omni tempore ſimul, in Concionibus explicari  
poſſunt, & tamen in Eccleſia neceſſe illorum de-  
clarationem extare: ſapienter inierunt hoc conſili-  
um pij Doctores, ut Euāgeliorū per ſacra tempora  
diſtributione huic neceſſitati ſimul atq; difficultati

4 2 ſue-



## EPISTOLA

succurreretur. Diuersa enim & multiplex est Euangeliorum materia quorū alia de timore Dei docet, alia fidem tractāt, alia bona opera describūt, alia dilectionis praecepta tradūt, alia de cruce & persecutione admonent, alia ad orationē hortātur, alia certis quibusdā uicijs arguēdis occupantur, alia de iudicio iudicant & ad uigilantiā homines excitant: & quis quaeſo potest omnia simul argumenta recensere, quae diuersis Euangelij locis ac partibus continentur? Cū igitur ordine certo per anni seriem distributo, sic Euāgelia tractantur: ut aliud hodie, aliud cras in explicationem ueniat, paulatim hoc inde consequitur, ut praecipua fidei capitula diuersis Euangeliorū locis cōprehēsa successiōe quadam festorū ordine declarentur, & suo quodque tempore in Ecclesia locū inueniat. Atq; haec quidem exemplis declarare opus nō est, cū unusquisq; uel mediocriter Euāgelicae historiae gnarus per se facile in dicare possit, in quolibet Euāgelio fere certā doctrinam contineri, quae ad certum aliquē doctrinae locū referri debeat, & ad aedificationem integre fidei quasi partē quandam afferat, ita tandē iuxta Apostolum, perfecta eius hypothesis habeatur.

Deinde illud etiā in scholis & Ecclesia non inutile uidetur, ut Euāgeliorum textus ac historiae non solum

## N V N C V P A T O R I A .

solū uarijs linguis, uerū etiā uario genere orationis habeatur explicatæ. Nā quod ad linguarū uarietate attinet, haud quisquam ambigit, eam in docendo equè necessariā, atq; utilē esse. Alia enim aliud magis explicat ac declarat: & in una lingua sepe loci tā incidūt obscuri, ut sine aliarū collatiōe uerū sensum nullo modo deprehendere possis. Deniq; nemini ignotū est ipsam linguarū uarietate singulare donū esse Spiritus sancti, quod in Christiana Pētecoste manifesto miraculo super apostolos effudit, non solum propter uarias gētes in Euangelio docēdas, sed etiā ad pleniorē doctrinæ celestis explicationē, quæ plurimū linguarū indiget auxilio. Ipsa autē Euāgeliorū per uaria oratiōis genera trāsmutatio, qd aliud est, q̄ unius eiusdemq; rei per uarios efferendi modos declaratio, quæ paraphrasis quodāmodo uideatur habere rationē. Hinc tā uarie passim extant Euāgeliorū explicatiōes: quarū aliæ Homeliæ, aliæ Exegetes appellātur, aliæ nudis locorū indicationibus, aliæ paraphrasi Rhetorica constant.

In hoc genere uidetur etiā illorū labores esse ponēdi, q̄ sacras Euāgeliorū historias & gesta carmine, uel Heroico, uel Elegiaco, uel alio quocūq; genere comprehēderūt: inter quos præcipuū hodie nomen obtinēt apud Latinos Iuuenecus, Arator & Sedu-

## EPISTOLA

lim (Prudentium enim & Mantuanum, ac recentio-  
 res etiã Vidam, atq; Sannazariũ omitto) apud Gre-  
 cos aut Nonnius & Gregorius Nazianzenus, quo-  
 rum alter Euangelium Ioannis integro carmine red-  
 didit, alter parabolas & miracula à singulis Euan-  
 gelistis narrata uario genere uersuum conscripsit.  
 Atq; hæc ideo uidentur, à pijs & doctis in Ecclesia  
 uiris elaborata, non ut rerum diuinarum maiestatem  
 oratione poetica extenuarent, sed potius ut  
 uertendis illis ingenium exerceret, & Musas etiam  
 sacra loqui docerent: præterea rebus in textu bre-  
 uibus ac nudis iucunditatem quandã uersibus adde-  
 rēt. Quis enim ignorat eã boni carminis energiam  
 ac uirtutē esse, ut legentis animũ magis afficiat ora-  
 tione soluta. Memoriae quoq; facilius inherentes,  
 que uersibus inclusa pponuntur: ut uel hoc nomine  
 nõ immeritò Musæ dicatur Mnemosynes esse filia.  
 Delectat aures, animũq; numeri, nõ minus q̄ cõcen-  
 tus harmonie Musicæ: ac si uerè iudicare uolumus,  
 elegãs & uenustum. Carmẽ aliud nihil est, q̄ suauis  
 quædam multarũ uocum & sententiarũ apto ordine  
 mensurãq; coherentium harmonia, que iucundam  
 aliquam uel utilem doctrinam quasi decantat.

Hec igitur & similia perpendēs animo, cũ uide-  
 rē Euāgelia Dominicalia simul & Ferialia nõ exti-  
 re in uo-

## N V N C V P A T O R I A .

re integro ordine uersibus cōprehensa, laborē illū bono studio sum aggressus : ad quē suscipiendū me partim sholæ nostræ utilitas , partim ipsarū etiam Euangelicorū historiarū iucunditas inuitauit. Cū enim ex ueteri more scholarū profectis ac deinde sacris diebus Euāgeliorū textus à pueris legi et exponi solēt, & ex hac nuda uerborū persecutiōe parum ad eos utilitatis redire uiderē: quò & ipsis, & aliorū etiā adolefcētum studijs hac in re consulerē, Euāgelia singula uersibus heroicis, quātum succifiuo tēpore fieri potuit, utēq; reddidi: semp in hoc opera data respiciēs, ut quā proxime sententiā textus exprimerē, & à uerbis Euāgelistarū minimē recederē: Et si nō diffiteor interdū à me quasdā hypotyposes & prosopopœias, in loco tamē, insertas esse, quæ narrationi aliās breui cōuenire, eā nō nihil exornare, & animos pueriles magis oblectare posse uidebātur. Alicubi etiā prolixius & integra narratione ptractaui, ne materiæ coherentiā abrūperē, sicut in historia Stephani, cōuersiōis Pauli, decollatiōis Ioānis, & uinculorū Petri cognoscetur: in quibus p lōgiores descriptiōes extēdere rē gestā libuit. Verū de hoc toto labore, qd uel conat<sup>9</sup> sim, uel effecerim, uel etiā nō assecut<sup>9</sup>, æqui lectoris arbitrio cōsendū relinquo. Tantū hoc addā, me propter obe-

EPISTOLA

unda scholæ officio nō potuisse plenā & cōtinuam  
 huic argumēto, sicuti merebatur, operā impēdere,  
 sed totū hunc libellum succisiuis inter dū horis ela-  
 borasse: cū ut mihi ipsi hac tractatione quotidianis  
 in laboribus oblectationē aliquā afferrē, tum etiam  
 ne tēpus exiguū licet omni sine fruge priuata con-  
 sumerē, uoluiq; potius aliquid in ea re conari, quā  
 planē nihil efficere. Fuit autē hic mihi labor ut non  
 iniucundus omnino, sic inter dū satis difficilis et mo-  
 lestus, dū Hebraica nomina, quæ Latinis auribus pa-  
 rum cōueniunt, & in uersum nō facillē cogūtur, ex-  
 primere tamē oportuit. Qua in re si cui fortasse ni-  
 mia uidebor usus esse licētia, dū eandē syllabā nūc  
 longā, nūc breuem cōtrā facio, uocabula etiā que-  
 dā cōtra naturalē fortasse quāritatē in uersus ordi-  
 nem redigo: quanq̄ argumenti difficultas in eo me  
 purgare posset, non magnopere tamē me ipsum ex-  
 cusabo: tantū hoc à pio lectore petā, ut quidq̄ hu-  
 iusmodi uiciorum est, ea necessitati carminis adseri-  
 bat, & hæc nostra qualiacunq; uel boni consulens  
 equo ferat animo, uel eadem ipse meliora faciat. Im-  
 primis enim in aliorū laboribus æstimādis illud me-  
 minisse decet, quod elegāter à Demosthene dictū  
 ἐπιτιμᾶν πάντοῦ ὄσι, βδελύεσθαι δὲ οὐ πάντοῦ. Et  
 postea à Nazianzeno non minus uenustē uariatū  
 est:

N V N C V P A T O R I A .

est: ἐπιτιμᾶν πάντοτε ὅσι ἐπανορθῶν ἢ οὐ πάν-  
 τος, illud etiam agnosco, alicubi me diligentiore,  
 alicubi uerò remissiore in scribendo, uel minus  
 felicem fuisse, prout uel ratio temporis uel animi  
 ferebat affectio, cuius ad meditandum impetus non  
 omni tempore pares esse quilibet in seipso potest  
 experiri. Et quis Horatianum illud ignorat. Quan-  
 doq; bonus dormitat Homerus.

Extāt Euāgelia tantū Dominicalia à Ioāne Span-  
 gebergio, uiro pio & docto, breuissimè reddita, quæ  
 nō est animus hoc libello nostro uel eleuare uel sup-  
 primere: cū de hoc uiro quid sentire debeā, non  
 ignorem, quem adolescēs etiam in carmine forma-  
 torem habui. & nunc in patria piarū Ecclesiarum  
 ἔφορον esse gaudeo. Tantum deniq; illius uiri can-  
 dorem & humanitatem antea cognoui, ut nihil mi-  
 nus uerear, quā illū hoc labore nostro, in quo quidē  
 exemplum ipsius & uestigia secuti sumus, offendi  
 posse. Sua cuiq; lam existimatioq; relinquitur: nec  
 ideo suggillatores appellādi sunt, qui prius ab alijs  
 tractata, sibi quoq; suo modo tractanda suscipiunt,  
 alioqui enim nemini præter Eobanum liceret ali-  
 quem Psalmum carmine uertere, quæ libertas in-  
 genijs bonis nullo iure potest eripi.

Porro cum absoluto libello, quē Typographus

## EPISTOLA

ex stipulatione poscebat excudendū, iam patronus  
 esset huic opusculo querendus, q̄ defensionē illius sus-  
 ciperet, & autoritate sua maleuolorū ἀκόλαστον  
 γλωσσῶν reprimeret: post longā deliberationē ipse  
 me locus editiōis admonuit, cui potissimū hoc si q̄d  
 est honoris, deferre deberem. In urbe enim Colonia  
 Agrippina maiorem amicū, q̄ te uir clarissime, ne-  
 minē habeo, de cuius ingenio, doctrina, uirtute, pru-  
 dentia simul & pietate præclariūs sentire possim,  
 ac debeā, nec ibi q̄squā est alius, in cuius autoritate  
 & consilio plus fiduciæ ac spei repositū habeā. Ipsa  
 uerò medicina præstātia, in qua te nō minus felicē  
 q̄ peritū esse quotidiana declarat experiētia, quāq̄  
 ego naturali ductus inclinatioe ante alias professio-  
 nes insigniter amo atq; ueneror, ea uel in primis  
 admonere me debuit, ut hoc tibi munusculo litera-  
 rio meā testarer obseruantia. Atq; hoc loco nō ali-  
 enum foret nomen tuū ueris laudibus celebrare, ti-  
 biq; pro cūmuni beneficio curatiōis gratias agere,  
 nisi metuerē id me nulla instructum eloquentia, ad  
 hæc tātis rebus exprimendis imparem non decere.  
 Ut interim taceā quātoperē natura abhorream in  
 os quenq; laudare, ne dū ueras eius laudes exprimā,  
 illius auribus quicq; dare uidear. Habes autē doctri-  
 ne tue, & in curatiōe morborū omniū, dexterita-  
 tiā

N V N C V P A T O R I A .

tis alios multo maiores testes ac præcones, quam ut  
 meo indigeas encomio, nimirū principes in Germa  
 nia uiros, Reuerēdiß. Episcopū Coloniēsem, & illu  
 striß. ducē Iuliacēsem : quorū uterq; te sibi nō Ar  
 chiatrū affciuißet, nisi tāti uiri scirent, cur tibi præ  
 ceteris uitæ ac ualetudinis suæ curā cōseruationēq;  
 secundū Deū committerēt. His accedūt omniū præ  
 stantiū in Germania medicorū testimonia, qui tibi  
 uno ore summū honorē deferunt. Ut interim taceā  
 Itatorū iudicia, quorū eruditiōe et exēplis per totū  
 septenniū instructus, magna cū laude ante aliquot  
 annos in patriam redijsti, maiore praxin exercere  
 cœpisti, maxima uerò eādē adhuc summa cura ac  
 labore sustines. Et cū unus tot hominū curā sustine  
 as, q tuō cōsilio & opa quotidie in tuēda & reparā  
 da ualetudine utūtur, aptē mihi hīc in mentē uenit  
 Homericus uersiculus, q medicū multis unū præcel  
 lere testatur, nō aliam opinor ob causam, quā quòd  
 unus multorum ualetudinē custodiat ac conseruet.  
 Quod autē ad argumētū huius libelli nostri attinet,  
 etsi medico medica, et ut in Prouerbio dicitur, regi  
 scepra, cytharædo autē plectra conueniūt: tamē cū  
 singulari studio religionis te cōstet esse præditū, et  
 hoc in quo uersaris officiū summa pietate animi tra  
 ctare, nō incōueniēs hoc tibi medico pio theologicū  
 opuscu-

Iliad λ.  
 ἰατρος γὰρ  
 ἀνὴρ πολλῶν  
 ἀντάξει  
 οὐσ ἀλλῶν.



## EPISTOLA

opusculū esse iudicauī, in quo nonnunq̄ à grauiore  
 cura uacuis animū oblectares & si nō ex ipsis uer-  
 sibus, picturis tamen adiectis aliquā uoluptatem ca-  
 peres. Insunt præterea huic libello multæ historie  
 Euangelicæ mirabiliū curationū, quæ æternus Dei  
 filius diuina uirtute Verbi sui perfecit, dum cæcis ui-  
 sum, surdis auditum, mutis loquelam, claudis recti-  
 tudinē & firmitatē pedum, leprosis emundationē,  
 deniq; mortuis etiam uitam restituit: ostendens his  
 operibus seuerè morborum omnium curatorem &  
 ἀλεξίκακον esse, proptereaq; in mūdum uenisse, ut  
 Y  
 omni infirmitate corporis animiq; sublata naturā  
 humanam renouet, & ad æternam uitam restituat.  
 Vult etiam homines ex his sanationum miraculis  
 discedere, ut in omni genere infirmitatis ad ipsum  
 primò confugiant: inde remedijs à Deo conditis ad  
 communem necessitatem utantur, euentumq; diui-  
 næ uoluntati committant. Idem sentiunt omnes pij  
 & uerè Christiani Medici, à sola Christi uirtute &  
 benedictione curationem omnem prouenire: se ue-  
 rò tantū esse naturæ ministros & instrumenta,  
 per quæ Christus operetur. Vnde non absurdè face-  
 re te uideo, cum in principio, consiliorum sanitatis  
 hanc quasi communem Epigrapham ponis: Sanat  
 Christus languores. Verū de hac professione tua,

N V N C V P A T O R I A .

Et huius dedicationis nostræ consilio plura coram  
audies . Nunc te per humanitatē tuam singularem,  
Et amicitie nostræ uinculum oro, ut hūc Libellum  
nomini tuo inscriptum benignè suscipere, Et meū  
in hac re studium boni consulere uelis, meq; tibi cō  
mendatum esse sinas . Quotannis à te semina pere  
grina multarum herbarū accipio; de piscibus Itali  
cis idem spero; pro quibus aliam gratiam cum repo  
nere nequeam, spero te hoc qualicunq; munusculo  
contentum non alia maiora à nobis & ut id ωσ α fla  
gitarum esse . Christus Iesus, in cuius manu cuncta  
rum hominum uita iuxtā ac mors est posita, te cum  
uxore charissima, libris dulcissimis, Et pa  
tre reuerendo diu seruet incolumem.

Bene Et feliciter uale uir cla

riissime. Segenæ ipsis

Nonis Martijs.

Anno domini

M. D. XLIX.

AD

AD EVNDEM CLA  
RISSIMUM VIRVM DOCTO-  
rem Echtiū, Elegia.

**D**octe Machaonias Echti curare per artes,  
Nomina Bacchouij qui genitoris habes,  
Cuius ad undantem notissima gloria Rhenum,  
Fertur ad Eoas occiduasq; plagas.  
Accipe de sacro deductum fonte libellum,  
Nomine qui gaudet se decorare tuo.  
Accipe, nec tenues, ideo contemne Camœnas,  
Quod uix digna tua carmina laude ferant.  
Sunt humiles fateor, nullumq; merentur honorem.  
Debuerunt potius nocte silente premi.  
Sed quia sacra serunt paruo conscripta Libello,  
Hac solùm sperant parte placere tibi.  
Scilicet in templo, quæ festa luce sacerdos

*Euāgelia.*

Explicat, ad plebem uoce tonante suam:  
Fontibus è sacris quoniam sunt omnia sumpta,  
Et uitam Christi mira q; gesta docent,  
Impulit idcirco nostras ea cura Camœnas:  
Talia ut heroo carmine uersa darent.  
Seruijt imprimis nostræ labor ille iuente.  
Disceret ut Musas, ipsaq; sacra simul.  
Nec scelus est molli cælestia dogmata uersu  
Claudere: non ullum res habet ista malum.

*Per*

## ELEGIA

Perlege scripturæ mysteria, carmine Mosen

Inuenies grates persoluisse Deo.

Aspice Dauidem Psalmorum sacra canentem

Carmina, cum resonum pollice tangit ebur.

Nec tantum numeris, laudat quoque uoce tonantem,

Versibus harmonicos applicat atque modos.

Carmina sunt munus diuum, sacrisque canendis,

Diuinum uates undique nomen habent.

Si seruire Deo debent quaecumque creata:

Cur quoque non illum carmina nostra colant?

Sed nulli spero suberit mens inuida recto,

Improbet ut uersu reddita sacra meo.

Atque utinam tantis equalia carmina rebus,

Illis ex minima dignaque parte forent.

Pro facto tamen interdum conatus habetur,

Sapius in magnis et uoluisse sat est.

Nos igitur cepto tentauimus ista labore,

Duximus ad finem ceptaque nostra suum.

Inde quid effectum nobis, uel quid sit omissum,

Iudicium doctos hoc penes esto uiros.

Hanc tibi censuram medicorum summa relinquo

Gloria, tu iudex carminis huius eris.

Quicquid et hic statues, nobis per cuncta placebit,

Arbitrij stabo uoce cadamque tui.

Et quoniam ante alios excellis in arte medendi,

Nec minus antiquo Pæone nomen habes,

Te

ELEGIA

Te precor ut nostro quæ sunt errata libello,  
 Dignere his medicas applicuisse manus.  
 Nō opus emplastris, procul hinc catapotia cessent;  
 Non ego pastillos hac mihi parte uelim.  
 Officio tantū calamus fungatur amico,  
 Deleat errores æqua litura meos.  
 Et potes, & debes nostras censere Camœnas,  
 Proderit his limam sustinuisse tuam.  
 Quin etiam fidum te conuenit esse patronum  
 Carminis auctori, carminibusq; simul.  
 Inuida non deerit censorum turba malorum,  
 Hoc quibus in promptu carpere & illud erit.  
 Nec quia sacra canunt, sacrorū propter honorem  
 Carminibus parcat liuida lingua meis.  
 Ah quoties dentem torquebit Zoilus atrum,  
 Versibus ut nostris uulnera seua ferat.  
 Arguimus cuncti, non emendamus amice,  
 Cernimus errores, tollere nemo iuuat.  
 In uicio alterius, ceu Lynceus alter, acuti,  
 In nostro segnes, cæcæq; talpa sumus.  
 Ergo tibi nostri sit tradita cura libelli,  
 Tuta patrocinio sint mea scripta tuo.  
 Sic ego dum uiuam uestro propensus honori,  
 Et meriti gratus debitor huius ero.  
 Quod superest, multos fatis tribuentibus annos,  
 Perpetuoq; foelix incolumisq; Vale.

# PRIMA PARS

EVANGELIORVN HYEMALIS.

DOMINICA I. ADVENTVS.

EVANGELIVM MATTH. XXI.

ARGVMENTVM.

*Ingreditur Christus Solymas inuectus asello,  
Fronde uiam spargens uulgus Osanna canit.*



**C**HRISTVS ubi Solymam  
prius uenisset ad urbem,  
Hic ubi parua iacet submis-  
so Bethphaga muro,  
Monsq; ferax olea superas  
se tollit in auras:  
Protinus è cætu binos comi-

tante ministros

Eligit, his mandat peragenda, ac talibus infit:

Ite uiri celeres Castellum in rura propinqui,

A Quod

## EVANGELIA.

Quod uos ante iacet, mox inuenietis asellam  
Cum tenero pullo simul ad praeſepe ligatam,  
Soluite utrunq; pecus, ueſtroq; afferte magiſtro.  
Dixerit at ſi quis forſan: quò ducitis illos?  
Reſpondete uiro: dominus nunc indiget illis,  
Continuò uobis aſinam pullumq; relinquet.  
Hec autem fieri ſic rebus oportuit ipsis,  
Vt perfectà forent Zachariae uerba propheta,  
Talia qui cecinit diuino percitus Oeſtro:  
Dicite ſic Natæ, quæ regnat in arce Sionis:  
Ecce tuus longo tibi Rex promiſſus ab æuo  
Aduenit, in tergo reſidens manſuetus aſelle,  
Atq; ſuper pullo matrem comitante iugalem.  
Discipuli celeres abeunt, & iuſſa magiſtri  
Expediunt, aſinam freno pullumq; trahentes,  
Vt uenère locum, dominus quo ſtabat Ieſus,  
Protinùs abripiunt toto de corpore ueſtes  
Quiſq; ſuas, aſinæ pandoq; in tergore ſternunt,  
Imponuntq; ſuper ſtudio feruente magiſtrum.  
Interea populus Regem comitatus Ieſum,  
Veſtimenta iacit pandens per ſtrata uiarum.  
Aſt alij ramos oleæ palmæq; uirentes  
Arboribus cadunt, & humi per compita iactant,  
Atq; uiam domino folijs & flore coronant.

T. 11.

DOMINICALIA.

Turbâq; præcedens, & quæ uestigia Christi  
Ponè sequebatur, tali clamore sonabat:  
sit foelix Natus ueniens Dauidis ab alto,  
Gloria sit domini uenienti in nomine Regi,  
Qui benedictus adest, ut nos benedicat in æuum.  
Huic Osianna pium sublimi uoce canamus:  
Talibus exactis Solymam cum Christus in urbem  
Ingredere tur ouans, & regum more triumphans,  
Vrbs commota fuit rerum clamore nouarum.  
Quotquot & aspexere uiri, sic uoce rogabant:  
Ille quis est, tantus sequitur quem coetus euntem?  
Respondet populus, magnus uenit ecce Propheta  
Urbe Nazaraea genitus, cui nomen Iesus.  
Mirantur laudesq; uiri præclaraq; facta.

DOMINICA II. ADVENTVS.

EVANGELIUM LVC. XXI.



A 2 AR



# EVANGELIA

## ARGUMENTVM.

Tristia uenturae memorantur signa diei,

Quae caelo & terris sintq; futura mari.

**D**iscipulis Christus uenturae signa diei  
Expediens uero tales dedit ore loquelas:  
Audite o socij dictisq; attendite nostris,  
Iudicium domini quam plurima signa praebunt,  
Qualia non mundi meminerunt secla prioris:  
Solis enim iubar immensum, Lunaq; nitorem  
Obducent tenebrae, stellis lumenq; negabunt,  
Sanguineo diri flagrabunt crime Cometa,  
Ignis & horrendos caelum patietur hiatus.  
Tum uariae species armorum ac tristia bella,  
Clangentesq; tubae resonabunt nubibus altis.  
Nec minus in terris mortalia corda prementur  
Anxietate graui, quam talia signa mouebunt,  
Attonitaeq; tremunt gelida formidine mentes.  
Insuper & pelagi fluctus undaeq; sonabunt  
Horrendum, surgentq; graues super alta procellae  
Diluuium terris extremaq; fata minantes,  
Insolitisq; tremunt quassatae motibus urbes.  
Ast homines miseri consumptis uiribus acri  
Deficient praetantarum formidine rerum,  
Quae super extremi uenient mala tempora mundi.

Namq;

## DOMINICALIA.

Namq; etiam celi uires, & summa polorum  
lura mouebuntur, naturaq; tota tremiscet.  
Talia cum fient, tunc conspicietis ab alta  
Sede uenire Deum claraq; in nube sedentem  
Maiestate graui & magno splendore timendum.  
Hec igitur quando uenientibus ordine rebus  
Incipient fieri, uestras attollite frontes,  
Et gaudete pij leto sub fine laborum:  
Nam sperata saluq; redemptio uestra propinquat.  
Talia uerba loquens simili declarat Iesus:  
Aspicite arboreasq; comas, ficumq; rubentem  
Germine protrudunt quando, gemmaq; soluta  
Parturiunt, summa ramorum in stirpe tumentes  
Aestiuos tunc nonne dies sentitis adesse?  
Letaq; purpurei succedere tempora ueris?  
Sic uos in caelo cum signa uidebitis ista,  
Non hinc esse procul caelestia Regna sciatis.  
Hoc etenim uero uobis sermone profabor,  
Quod non transibit genus hoc, nisi talia fiant  
Omnia. Cum summo tellus transibit Olympo,  
Sed mea uerba manent nullum peritura sub aeuum.  
Vos autem admoneo cunctos, iubeoq; cauere,  
Ne uestras oneret turpissima crapula mentes,  
Pectora neu saeculi curis immersa grauentur:

A 3 Ne

EVANGELIA

Ne super incautos ueniat lux ista, trahatq;  
Tristis in exitium nil talia damna timentes.  
Nam ceu rete dies ueniet suprema repente,  
Et super in cautos ceu fur mittetur Olympo,  
Vt sincera fides, securaq; corda probentur.

DOMINICA III. ADVENTUS.

EVANGELIUM MAT. XI.

ARGUMENTUM.

Discipulos mittit Christum rogitare Ioannes:  
Illis uisa iubet signa referre Deus.



**A** Udijt ut Christi sublimia facta Ioannes  
Carcere sub caeco, quae nūcia fama ferebat,  
Discipulos misit geminos, qui talia dicant:  
Tu'ne uir es, nobis est qui uenturus: an ipsi  
Expectare alium spe progrediente iubemur?

Talio

## DOMINICALIA.

Talibus auditis contrà respondit Iesus:  
Ite redite uiam, uestroq; referte magistro  
Omnia quæ coram auditis fieriq; uidetis:  
Ecce uident cæci, figunt uestigia claudi,  
Mundantur lepra immundi, surdisq; disertus  
Redditur auditus, defuncti à morte resurgunt,  
Pauperibusq; Euangelij doctrina patefcit.  
Ac fœlix qui non de me mala scandala sumit.  
Discipuli redeunt Christi mandata ferentes.  
Ad populum uerò se iam conuertit Iesus,  
Obferuanda loquens de sancto uerba Ioanne:  
Quid precor existis loca per deserta uidere?  
An uaga quæ uentis hinc inde agitur arundo  
Exciuit cupidos? uel cur petistis Eremum?  
Indutum molli num cernere ueste iuuabat?  
Mollibus induti Regum uersantur in aulis  
Delicijs rerum uarijs & honore beati.  
Cur tamen existis? num fortè uidere Prophetam?  
Certè equidem dico maiorem hunc esse propheta:  
Hic etenim uerè est, de quo scriptura fidelis  
Sic ait: Ecce meus te mittitur Angelus ante,  
Qui tibi præsternatq; uiam cursusq; futuros.

EVANGELIA  
DOMINICA III. ADVENTVS.  
EVANGELIVM IOANNIS I.

ARGVMENTVM.

A Solyma missis reddit responsa Ioannes.  
Sternere se Domino uoce sonante uiam.



**A**Tque hæc sunt Christum testantia uerba  
Ioannis,  
Quando Sacerdotes populus Iudeus ad ipsum  
Leuitasq; simul Solyma mittebat ab urbe,  
Qui compellatum tali sermone rogabant:  
Ipse quis es cædò? fassus nihil ille negauit:  
Non ego sum Christus dicens. cœpere secundo:  
Nunquid es Helias? non sum respondit. at illi  
Vlteriùs quærunr: aliquis num fortè propheta?  
Pernegat hoc etiam. tandem dixere: quis ergo?  
Vt responsa uiris qui nos misère feramus.  
Ipse quid affirmas de te? tum protinùs inquit:

Vox

DOMINICALIA.

Vox ego sum clamans loca per deserta: parate  
Venturo gressum domino cursumq; uiarum,  
Sicut uaticinans Esaias prodidit olim.  
Ast hi qui missi fuerant ex urbe, fuerunt  
Ex phariseorum numero, sic plura rogantes:  
Cur igitur populum baptizas: cum neq; Christus  
Ipse nec Helias, nec sis te teste prophetas?  
Respondit referens illis hæc uerba Ioannes:  
Flumine baptizo solaq; ego præuius unda,  
Ecce sed in medio uestrum iam constitit ille,  
Quem neq; nouistis, nec adhuc cognoscitis ipsi:  
Hic est, qui quamuis mea post incepta sequetur,  
Me tamen ante fuit iam longo tempore, cuius  
Non ego sum dignus qui calceamenta resoluam:  
Ille sacro mundans uos flamine & igne lauabit.  
Hæc sunt Bethabarae clarum Iordanis ad amnem  
Facta, ubi tractabat sacrum Baptisma Ioannes.

IN DIE NATALIS IESV CHRISTI.

EVANGELIUM IOANNIS I.

ARGUMENTVM.

Esse Deum uerè, quod condidit omnia, Verbum,  
Panditur, utq; illi sit sociata Caro.

**P**incipio Verbum fuit ante exordia mundi,  
Cumq; Deo semper concordis foedere mansit.

A S Nam

EVANGELIA



Nam Deus illud erat caelesti numine Verbum,  
 Hoc cum patre fuit primaeva ab origine rerum,  
 Omnia precipiente Deo sunt facta per ipsum,  
 Et mihi est factum tanti sine munere Verbi,  
 Quicquid habet primo formatum tempore mundi.  
 Vita potens inerat & lux caelestis in illo,  
 Istaq; lux hominum fuit almo lumine uita,  
 Quae demissa polo tenebris fulgebat in atris:  
 Nec tenebrae talem poterant comprehendere lucem.

Missus homo fuerat summi uirtute parentis  
 Gratia cui nomen dederat diuina Ioannes.  
 Venerat hic testis tali de luce futurus.  
 Non erat ille quidem lux haec, sed uenit ut illam  
 Testificans hominum generi monstraret adesse.  
 Lux ea uera fuit, quae homines illuminat omnes  
 Quotquot in hunc mundum geniti de carne uenimus.

Hæc

DOMINICALIA.

Hec fuit in mundo primum, factusq; per ipsam  
Quāuis mūdus erat, tamen haud cognouerat illam.  
In sua quim etiam sublimi uenit Olympo,  
Nec sua gens illum pro munere grata recepit:  
Suscepere pijs uerò qui mentibus illum,  
His dedit esse Dei charissima pignora natos.  
Scilicet illius credentes nomine tantum:  
Non ex sanguinibus tales, nec carne uirili  
Prouenere, nihil ualet hīc humana uoluntas,  
Sed generante Dei tales sunt numine nati.  
Iamq; Caro factum est humano corpore Verbum,  
Demissumq; polo nostris habitauit in oris.  
Gloriaq; illius nobis est uisa refulgens  
Unigenae tanquam patrio de numine Nati.  
In quo uera Dei iam gratia plena relucet,  
Vera conspicitur nobis patefacta uoluntas.

HISTORIA NATIUITATIS CHRISTI,  
EX EVANGELIO LVC. CA. II.  
ARGUMENTVM.

Nascitur Augusto in Bethlehem sub Cæsare  
Christus,

Angelici coetus gaudia tanta canunt.

Exijt Augusto decretum à Cæsare, totus  
E Ut numeraretur collatis censibus Orbis.

Atq;



EVANGELIA

Atq; hæc prima fuit magni descriptio mundi  
 Aedita, quod Syriam præses Cyrenius omnem  
 Tempore commissum tranquilla pace regebat.  
 Iamq; omnes populi patrijs è finibus ibant,  
 Nomina dicturi pariter, censumq; daturi,  
 Quisq; suæ gentis properans tendebat in urbem.  
 Talia dum fiunt, senior quoq; uenit Ioseph,  
 Vrbe Nazareæ ciuis Galilæidos oræ,  
 Iudæamq; petens ueterem Dauidis in urbem:  
 Nomine Bethlemiam patrijs tendebat ab oris.  
 Nam genus antiquum Iessæ à stirpe trahebat:  
 Huc sibi de sponsa Maria cum coniuge uenit,  
 Quæ grauidam sacro gestabat pignore uentrem.  
 Et iam contigerant longis ambagibus urbem,  
 Moeniaq; ingressi pronò sub uespere, tandem  
 Pauperis hospicij tectum subière propinquum,  
 Quòd locus haud melior serò uenientibus esset:  
 Tanta cohors peregrinorum successerat urbi.  
 Accidit hîc, gentis patriæ dum sede morantur,  
 Vt sacer impleto iam tempore partus adesset.  
 Aedidit hîc primo genitum castissima Natum  
 Mater, & heu pannis inuoluit uilibus ipsum:  
 Horrida præbebant teneras præsepia cunas,  
 Stramina cum foeno lectus plumæq; fuerunt.

Nam

## DOMINICALIA.

Nam locus hospicio nullus restabat in omni.  
Pastores aderant uerò regionibus illis,  
Excubias ouium qui tempore noctis agebant,  
Sub Ioue consueti duras tolerare pruinas.  
Angelus his domini magno fulgore propinquat,  
Et subito insuetam capiebant omnia lucem,  
Extimuerunt uiri rerum terrore nouarum.  
Ille animos dictis placidè confirmat & inquit:  
Ponite corde metum pastores, mittite curas,  
Non ego terrorem uenio damnumq; daturus,  
Gaudia sed uobis de celo ingentia porto:  
Gaudia quæ populū ueniunt spargēda per omnem,  
Namq; hodie est natus uobis Saluator in orbem,  
Nominē quem Christū dominū Regemq; fatemur:  
Aedidit hunc parua genitrix Dauidis in urbe,  
Ut completa forent ueterum præsentia uatum.  
Ne proferre tamen me nuncia falsa putetis,  
Ista puerperij sint uobis signa beati:  
Infantem tenerum mox inuenietis euntes  
Vilibus in pannis positum, stabuloq; iacentem:  
Hic ubi ruriculas pascunt præsepia tauros,  
Abiectam pueri nec uos contemnite formam:  
Hac illum debent oculi cognoscere uestri.  
Hec ubi dicta dedit pastoribus Angelus, ecce

Militia

## EVANGELIA

Militiæ cælestis honos apparuit ingens,  
Spirituumq; Chori uolitabant æthere toto,  
Talia sublimi præconia uoce canentes:  
Gloria sit domino cælorum excelsa tenenti,  
Paxq; hominum generi in terris, & leta uoluntat  
Hæc ubi per totum sonuerunt iubila cælum,  
Angelici rediere Chori sublimi petentes.  
Dumq; secant liquidū plaudentibus æthera pennis  
Dulcibus impulse resonant concentibus auræ.

Tunc ita pastores inter se uoce loquuntur:  
Surgite Bethlemiam socij properemus in urbem,  
Talia uisuri coram, quæ facta feruntur,  
Quæq; Deus nobis cælo patefecit ab alto.  
Nec mora festino ueniunt ad mœnia cursu  
Ut subiêre locum, stabuli quo tecta manebant,  
Inueniunt Mariam Ioseph cum coniuge matrem,  
Infantemq; Deum positum præsepibus altis,  
Fascia linteolis quem uilibus arcta tegebat.  
Stramen erat lectus, tepidæ fœnilia plume.  
Protinùs exhibito puerum ue nerantur honore,  
Poplite curuato, manibusq; ad sydera tensis,  
Oscula quin etiam palmis puerilibus addunt,  
Atq; Deo grates tanto pro munere dicunt,  
Carmina syluestri stipula iucunda canentes.

Himo

## DOMINICALIA.

Hinc ubi nota satis tanti miracula partus,  
Discedunt iterum læti, plebemq; per omnem  
Notificant, quæ dicta sibi tum uisa fuerunt.  
Obstupuere super pastorum uocibus omnes,  
Atq; nouum mirantur opus, dictumq; puellum  
Aedidit insueto quem uirgo puerpera partu.  
At pia seruabat tacito sub pectore mater  
Omnia, de puero quæ prodita uerba fuissent,  
Singula sollicito secum sub corde uolutans,  
Expendensq; uirum uoces, casumq; futuros.  
Hinc ubi pastores populum sparsere per omnem  
Nuncia de celo patefacta & cognita coram,  
Continuò campos repetunt, caulasq; reuisunt,  
Laudantes dominum cæli super omnibus illis,  
Quæ narrata sibi primùm, post uisa fuissent.  
Omnis cantus erat, Puer, omneq; carmen, Iesus:  
Omnibus hoc læti calamis & uoce sonabant:  
Cuncta re percussis reddebat uocibus Echo.

DOMINICA POST NATALEM DOMINI.

EVANGELIUM LVC. II. CAP.

ARGUMENTVM.

Predicit Symeon casus tibi uirgo futuros,  
Hanna patris uates nec Phanuelis abest.

Talia

EVANGELIA

**T**alia de puero quæ dicebantur Iesu,  
 Mirati secum materq; paterq; fuerunt.  
 Protinus hic illis Symeon benedixit, & ore  
 Vaticidico cœpit Mariæ sic dicere matri:  
 Aspice quem casto genuisti corpore natum,  
 In tristem positus multorum est ille ruinam:  
 Aspice & hoc multi Solyma de gente resurgent.  
 Namq; erit in signum, contrâ cui dicere plures  
 Audebunt, odioq; uirum grauiore laceffent.  
 Tunc animam gladius tibi pertransibit acutus,  
 Pectora multorum quò tandem arcana pateffant,  
 Quæ diu latuere animis, cernantur aperte.  
 Talia cum fierent, mulier tum fortè Prophetis  
 Adfuit Hanna simul, Phanielis filia patris,  
 Stirpis Azaræ, senio iam cana trementi.  
 Illa suo septem cum coniuge uixerat annos:  
 Post, ubi defunctum rapuissent fata maritum,  
 Constituit cœlebs uiduam traducere uitam:  
 Lustraq; bis septem totidem subiunxerat annis,  
 Iam defecta tremens, tristiq; absumpta senectâ.  
 Sed tamen ignauo non pectore sacra colebat,  
 Semper & in templo domini ceu serua manebat  
 Ieiunans cum nocte diem, constanter, & orans.  
 Hæc etiam puerum uenerans accessit Iesum.

Lauda

## DOMINICALIA.

Laudauitq; Deum, qui pignora tanta dedisset,  
Plurima uerba super promisso semine fundens,  
Monstrabatq; nouam populis instare salutem,  
Quæ Solymis annos tot iam expectata fuisset.  
Talia plena Deo præfaga mente canebat.  
Iamq; ubi cuncta pie matri perfecta fuissent  
Debita sacrorum, fieri quæ Lege iubentur,  
Obtulerit primum si quando puerpera natum,  
Protinus in patrias terræ Galilæidos oras  
Fida redit genitrix, charo comitante marito:  
Perq; alterna uias infansem brachia gestant,  
Donec ubi celo ueniens lux quarta refulsit,  
Nazaream subeunt finitis cursibus urbem,  
Et patrios tetigisse lares, sua limina, gaudent.  
At puer interea primos crescebat in annos,  
Corporis atq; animi mirando robore surgens.  
Namq; Dei præsens firmabat Spiritus illum.  
Hinc insueta subit teneram sapientia mentem:  
Qualis ab humano non semine prouenit unquam.  
Gratia tum Domini puerum complexa sœuebat.

IN DIE CIRCUMCISIONIS DOMINI.  
EVANGELIUM LVCAE II.

ARGUMENTVM.

Octo dies ierant, cum circumciditur Infans,  
Atq; datum celo nomen Iesus habet.

B Lux

## EVANGELIA



**L**Vx octava aderat Christi nascentis ab ortu,  
Et iam tempus erat pueri præputia sacro  
Antiquo de more patrum præcidere saxo.  
Ergo illum in templo sistunt, Legisq; ministri  
Exiguam pellem, qua glans obducta, recidunt.  
Tum puero nomen chari fecere parentes  
Diuinum, nostra signumq; salutis Iesus:  
Angelus è calo ueniens quod dixerat antè  
Quàm foret intacta matris conceptus in aluo.

IN FESTO EPIPHANIAS, CEV TRI  
VM REGVM.

EVANGELIUM MATTH. II.

ARGUMENTVM.

Adueniunt Reges è partibus Orbis Eoi.

Atq; Dei nato tres tria dona ferunt.

**B**ethlema Christus cùm natus in urbe factus  
set,

Indica

DOMINICALIA.



Iudeas Herode malo regnante per oras  
Ecce Magi primis digressi orientis ab oris,  
Ad Solymam uerbis ueniunt cum talibus urbem:  
Dicite ubi uestrum liceat cognoscere Regem,  
Aedidit insueto quem Virgo puerpera nixus:  
Vidimus illius nostro procul aethere stellam  
Solis ad exortum claro fulgore micantem.  
Proptereaq; citi uestras aduenimus oras,  
Ut genibus flexis illum ueneremur ouantes.  
Audiit Herodes cum talia uerba, repente  
Territus est animoq; metum concepit inanem.  
Regis ad exemplum Solymarum tota fuerunt  
Mœnia sollicito populi percussa timore.  
Protinus Herodes in celsam conuocat aulam  
Pontifices, scribas populi, Legisq; peritos,  
Nota quibus ueterum fuerant oracula uatum:

B 2 Hos



## EVANGELIA

Hos rogitat, Christus qua sit promissus ab ora,  
Illi Bethlemiam referunt communiter urbem,  
Sic etenim diuina propheta scripta loquuntur:  
Tu quoq; Iudæe Bethlemia paruula terre,  
Non minima es magni de sanguine stirpis Iudæ,  
Nam mihi nascetur de te fortissimus Heros,  
Qui populum Israhel sublata lege gubernans  
Aeternis regit imperijs, & fœdere certo:  
Illius egressus fuit ante exordia mundi.  
Talibus auditis tacito Rex impius astu  
Accersitq; Magos cauteq; exquirat ab illis,  
Tempore quo primùm celo fulgere sereno.  
Cœperit, & Regem portendere stella creatum.  
Dimissisq; uiris ficto sic pectore fatur:  
Ite bonis auibus, perquirite cuncta fideles  
De puero, uobis quem lucida sydera monstrant,  
Inuentumq; mihi rursus narrate, docentes  
Quæ domus hunc, tantũ Regẽ, quæ mœnia seruent,  
Illius ut sanctum ueniens quoq; Numen adorem.  
Hec ubi iussa Magi Regis cepere, secundum  
Ingrediuntur iter, cælo tum stella refulsit  
Visa prius, monstransq; uiam præcessit euntes,  
Donec ad optati ueniens magalia tecti  
Constitit, ostenditq; locum, quo paruulus in fœtus  
Matris

## DOMINICALIA.

Matris in amplexu circum ubera plena iacebat.  
At postquam celo tandem consistere Sydus  
Cognouere Magi, tum uerò maxima letos  
Gaudia pertentant animos, & pectora complent.  
Ergo domum ingressi, puerum genitricis in ulnis  
Inueniunt, hausto se nectare lactis alentem.  
Nec mora, prostrati Regem reuerenter adorant,  
Tendentes geminas demisso pectore palmas.  
Insuper è patrio Thesauris orbe reclusis  
Obtulerunt plenis pulcerrima munera dextris,  
Aurumq; thurisq; faces, myrrhamq; nitentem,  
Regem, Pontificem, mortis dominumq; fatentes.  
Inde soporiferæ moniti per somnia, noctis,  
Rursus ad Herodis ne perfida tecta redirent,  
Inde patrios alio redierunt tramite fines.

ALIUD EVANGELIUM EPIPHANIAS  
DE BAPTISMO CHRISTI.

MATTHÆI III.

ARGUMENTVM.

Abluitur Christus uitrea Iordanis in unda,  
Spiritus apparet uoce sonante patris.

**T**Empus erat quando Galilæis Christus ab oris,  
Digrediens liquidū uenit Iordanis ad amnē:

B 3 Hic

## EVANGELIA

Hic ubi Zaccharia natus deserta colebat,  
Setigera Libici contactus pelle Cameli.  
Scilicet ut sacrum manibus Baptisma Iohannis  
Suscipiens sancti firmaret signa lauacri.  
Iamq; ubi contigerat uicino flumine ripam  
Aduentus Domini causam didicitq; Iohannes,  
Renuit, & supplex uenienti talibus inquit:  
Non ego me tali nec tanto dignor honore,  
Vt te Christe Dei Natum mortalis mundem,  
Peccatiq; lauem purum sine sordibus Agnum:  
Sed mihi opus magis, ut per te baptizer Iesu,  
Qui potis es cunctas hominum detergere sordet.  
Ad me cur igitur uenias, ut talia poscas  
Munera, quæ nobis melius præstare ualeres,  
Igne tuo mentes & sacro flamine mundans.  
Vix ea fatus erat, cum sic respondit Iesus:  
Hæc age missa sinas, & quod nunc instat agam,  
Meq; tuis manibus sacro fac in amne lauari.  
Omnem iusticiam sic nos implere necesse est,  
Exemploq; sacrare nouam Baptismatis undam.  
Talibus auditis cessat pugnare Iohannes,  
Atq; Dei natum liquidas admittit in undas,  
Leniter infundens sacrum per membra liquorem,  
Et totum fluuio corpus lustrabat adorans.

Obstupuit

DOMINICALIA.

Obstupuit tanti contactu Numinis amnis,  
Agnouitq; Deum media Iordanis in unda:  
Et uenerans Diuum leni fluit agmine circum,  
Bxilière etiam ripæ plausumq; dedere,  
Et noua uicinos decorabat gratia campos,  
Tota uelut Numen regio sentiret adesse.  
Iamq; ubi lotus erat sacro Baptismate Christus  
Flumine conscendit medio, ceu lucifer ardens  
Exerit ora uadis, lumenq; ostendit honestum,  
Totus honore nouo niueo & candore relucens.  
Protinus immenso cælum se pandit hiatus  
Desuper, insuetam diffundens undiq; lucem  
Spiritus & Domini forma simulante columbam  
Aethere demissus supra caput eminet illi,  
Ingeminans plausum & miro fulgore coruscans.  
Vox etiam chari sonuit genitoris ab alto:  
Filius hic summo meus est delectus amore,  
In quo complacitum est solo, semperq; placebit:  
Hunc omnes iubeo populos audire docentem,  
Ut mea cognoscant quæ sit sincera uoluntas,  
Credentesq; habeant caelestia Regna per illum.

DOMINICA I. POST EPIPHANIAS.

EVANGELIUM LUCÆ II.

B 4 ARGV

## EVANGELIA

ARGUMENTVM.

Vrbe manet Christus Solyma post festa, suisq;  
Posthabitis, summi iussa parentis obit.



**P**aschatis ad sancti solennia festa quotannis  
Transibant Solymas Christi de more parentes  
Iamq; puer uite bis sex compleuerat annos,  
Ascendere iterum Solymas, festumq; colendo  
Transegere aliquot soles cum noctibus illic.  
Hinc ubi consummata sacris iam festa fuerunt,  
Ad patrias rursus referunt uestigia sedes.  
Ipse puer Solymis sed forte remansit Iesus,  
Quod miseri primùm non cognouere parentes,  
Namq; illū in turba comitum simul esse putabant.  
Iamq; dies patriam repetentibus iuerat unus,  
Hospitium sera subeuntes nocte parentes,  
Inter cognatos puerum notosq; requirunt,

Sci

DOMINICALIA.

Sed non inueniunt socijs in millibus unum.  
Quid faciant miseris: nox impedit ire retrorsum,  
Non illam somno, curis egere dolentes  
Assiduas inter lachrymas, suspiria, questus.  
Utq; dies pulsus iterum fuit orta tenebris,  
Mox iter hesternū repetunt, Solymasq; recurrunt,  
Omnia quærentes tenerum per compita natum.  
Tertia iamq; dies aderat, cū multa gementes  
Inueniunt tandem puerum sub fornice templi  
Doctorum in coetu medio, turbaq; sedentem  
Cū quibus alternis miscebat uerba loquelis,  
Multaq; percipiens, rogabat multa uicissim,  
Mirantesq; uiros etiam non pauca docebat,  
Expediens sacræ mysteria plurima Legis,  
Quæ fuerant nulli satis intellecta priorum.  
Tota cohors procerum pendeat ab ore loquentis,  
Sanctaq; maiestas uultu lucebat in ipso:  
Quotquot & audierant puerum diuina docentem,  
Mirati ingenium linguamq; suere disertam,  
Et responsa super magnis tam commoda rebus.  
Nec minus in nato chari obstupere parentes,  
Leticiamq; inter medijs passumq; timorem.  
Anxia quem Genitrix compellat uocibus istis:  
Dic age, cur absens fecisti talia nobis?

B S Conij-

## EVANGELIA

Coniciens miseros in tantum Nate dolorem.  
En tuus ille parens, & ego tristissima mater  
Tres adeo incerti te quarimus undiq; soles  
Solliciti, magnoq; animum turbante pauore,  
Ne peregrinorum nobis qua fraude periisses.  
Qualia proh nostræ senserunt uulnera mentel,  
Undiq; questum dum non reperire ualemus.  
Nunc tamen inuentus non es, sed nate repertus!  
Vnde sumus leti, de pectore cura recedit.  
Filius at contrà tali sermone profatur:  
Cur tamen ô charinatum sic usq; parentes  
Queritis? & mentem cura torquetis inanis?  
An rogo nescitis, quòd in his me conuenit esse,  
Que patris ad laudem summi mandat aq; spectantis  
Illius ut quæram sacris in rebus honorem,  
Auscultando alios partim, partimq; docendo.  
Vt pia diuinæ referentur dogmata legis,  
Que latuere prius: nunc me ductore patefcent,  
Quò patris in Nato noscatur uera uoluntas.  
Talia respondens dicebat uerba: sed illis  
Sensibus obscuris non intellecta manebant.  
Ergo patrem matremq; sequens descendit Iesus,  
Venit & in patriam cognomine Nazareth urbem,  
Vtq; decet natum, sic tempore semper ab illo

Paruit

DOMINICALIA.

Paruit ipsorum imperijs, & iussa parentum  
Audiit, obsequio uigilanti subditus illis.  
At pia seruabat memori sub pectore Mater,  
Omnia perpendens, fuerant quæ dicta per illum.  
Viribus interea letis crescebat Iesus  
Corporis atq; animi pariter, uisusq; repente  
Augeri uarijs supra sua tempora donis:  
Cumq; ætate simul sapientia creuit in illo.  
Gratia namq; Dei puerum complexa fouebat,  
Atq; omnes homines mira ratione fauebant.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAS.

EVANGELIUM IOAN. II. CAP.

ARGUMENTVM.

Coniugij festum Christus cum Matre frequentat.  
Atq; Deum factò se probat esse mero.



**T**ertia lux aderat, Cana. cum fortè per urbē  
Accidit, ut thalami celebrarēt gaudia quidā,  
Mater



## EVANGELIA

Mater ibi domini quoq; comparebat Iesu.  
Venerat & Christus presens conuiua futurus.  
Quem cum discipulis sponsus de more uocarat.  
Iam populus mensas circum confederat omnis,  
Lataq; conuiuas pascebant fercula letos:  
Cum subito, seu casus erat, seu tristis egestas,  
Defecere uiros spumantia uina bibentes.  
Hoc ubi cognouit Domini mitissima Mater,  
Protinus affectam subiit miseratio mentem.  
Ad Natum conuersa suum sic ergo profatur:  
Aspicis ut uinum miseros defecit Iesu,  
Affer opem duris, nec desere rebus egentes.  
Ille sed auerso respondit talia uultu:  
Quid mihi nunc tecum est mulier? quod multa requirit  
Hora mei nondum uenit, iam desine, facti.  
Lumina dimisit uultu pudibunda modesto  
Mater, & ad mensae trepidos conuersa ministro:  
Quae dederit uobis ea iussa cape site, dixit.  
Stabant sex Hydriae purgandi more locatae,  
Quas currente rota figuli manus arte pararat:  
Harum metretas capiebat singulae binas:  
Haec iubet impleri de flumine Christus aquarum.  
Expediunt agiles Domini mandata ministri,  
Implentes liquidis tam uasa capacia lymphis.

Talibus

## DOMINICALIA.

Talibus effectis, iterum præcepit Iesus:  
Fundite nunc haustos in pocula certa liquores,  
Oeconomusq; afferte simul gustare iubentes.  
Perficiunt iussum fidei, uelut antè, ministri.  
Ut gustauit aquas in uina liquentia uersas  
Architriclinus, facti quia nescius esset,  
Hoc etenim soli poterant nouisse ministri,  
Continuò sponsum uocat illi talia fatur:  
Esse quid hoc dicam, quod tu facis ordine uerso  
Quando alij celebrant Hymenèia gaudia ciues,  
Hospitibus primùm, quæ sunt uina optima, ponunt,  
Hinc ubi pulsa fames, sitisq; restincta bibendi,  
Omniaq; ebrietas iam per conuiuia regnat,  
Vilia tum demum peioraq; pocula ponunt:  
Tu contrà meliora tenax tibi uina reseruans  
Vilia per primas posuisti pocula mensas.  
Aedidit hoc primum caelesti numine signum,  
Quando fuit Canaë Galilæis Christus in oris:  
Esse sibi ostendens diuinæ robora dextræ,  
Discipulis hinc firma fides accreuit in illum.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAS.

EVANGELIUM MATTH. VIII.

ARGUMENTVM.

Efficitur mundus Christum Leprosus adorans,  
Ostendit magnam Centurioq; fidem,

CHRI-

EVANGELIA



**C**hristus ab excelso cū uertice montis abiit,  
 Hic ubi tradiderat facti mysteria uerbi,  
 Turba frequens populi gressum comitatur euntis,  
 Doctrinae studio flagrans & amore loquentis.  
 Protinus immundae patiens contagia leprae  
 Occurrit Domino, supplex qui bracchia tendens:  
 Si modò uis, mundare potes me, dixit, Iesu.  
 Restitit ad uocem Christus, gemitumq; precantis,  
 Protensaq; manu cepit contingere dicens:  
 Accipe quod poscis, uolo iam sis mundus. ab illo  
 Tempore mox hominem scabies immunda reliquit.  
 Praecipit hinc Dominus: factum caue dixeris ulli,  
 Vade sed hinc, & te sacrorum ostende ministris,  
 Quodq; iubet Moyses defer quoq; munus ad aram,  
 Testificans morbo te ritè priore solutum.  
 Talibus exactis, Christus subit alta Capharnes  
 Mactis

## DOMINICALIA.

Mœnia, Centurio mox redditur obuius illi,  
Supplice qui gestu uerbisq; precantibus inquit:  
Accipe cur ad te ueniam Saluator Iesu:  
Decumbit famulus morbo mihi pressus atroci,  
Cui mala luxatos conuulsio distrabit artus:  
Inde graues sentit per singula membra dolores,  
Imaq; continuis cruciatibus ossa laborant:  
Nec datur ulla quies, uicium sed crescit eundo:  
Huic digneris opem clemens afferre precamur:  
Et si non Domini, serui miserere dolentis.  
Curabo ueniens illum, respondit Iesus.  
Nobilis at contra sic rettulit ore disertus:  
Nō ego sum dignus domine, ut mea tecta subintres.  
Scilicet immensa peccati mole grauatus,  
Tu modò dic uerbum referens non ampliùs unum,  
Et meus à morbo seruus reualefcet iniquo.  
Namq; ego sum mortalis homo, subiectus & idem  
Imperio alterius, multos simul ipse guberno  
Militiæ seruos sub me ductore merentes:  
Cumq; huic precipio, ut uadat, mox uadit: & illi  
Ut ueniat, uenit extemplò nec longa moratur:  
Si iubeo seruum facere hoc, mox efficit ipsum:  
Deniq; continuò cuncti mea iussa capeffunt.  
Quòd si mortali mihi sic mortalia parent

Pectora,

## EVANGELIA

Pectora, Christe magis quanto parere necesse est  
Cuncta elementa tibi Domino uitaq; necisq;  
Quem penes est hominem solum seruare potest:  
Imperiumq; tuum quanto nunc maius habendum est,  
Infima qui rerum supremaq; cuncta gubernas,  
Indubitata igitur mihi stat sententia, seruum  
Quod sanare queas, uerbum si dixeris unum.  
Talia dicentem Christus miratur, & inquit  
Discipulis, turbaq; simul sua terga sequenti:  
Per summum iuro me dicere uera Parentem,  
Quod tantam reperire fidem non contigit usquam,  
Quantumcunq; patet, genere Israhelis in omni,  
Centurione nitet quam magna & qualis in isto.  
Hinc ego prae-moneo, multos nascentis ab ortu  
Solis & occasu uenturos esse fideles,  
Quem dabit ipse Pater caelesti accumbere mensae  
Cum patribus priscis, Abraamq;, Isaacq;, Iacobq;  
Ut simul accipiant aeterni munera Regni:  
Filius at contra Regni eijciatur ad Orcum  
Plurimus in tenebras, ubi erit ploratus in aeuum,  
Stridebuntq; malo concussi frigore dentes.  
Hec ubi factus erat socijs turbaq; sequenti,  
Talia militiae respondit uerba Magistro:  
Vade domum, fiatq; tibi ceu credis abunde.

Dixerat,

**DOMINICALIA.**

Dixerat, ex illa seruum paracliticus hora  
Sanatus redijt, morbus puerumq; reliquit,  
Debita Centurio fidei sic premia cepit.

DOMINICA IIII. POST EPIPHANIAS  
EVANGELIUM MATTHAEI VIII.

ARGUMENTVM.

Puppe iacens dormit, fluctus dum sauit, Iesus  
Euigilans uentis imperat atq; mari.



**L**ittore nauiculam positam conscendit Iesus:  
Discipuli Dominū consueto more sequuntur.  
Protinus exoriens permagnus in aequore uentus,  
Turbauit placidi tranquilla silentia ponti:  
Insurgunt fluctus tumidi, nauemq; procellae  
Vndiq; concussam feriunt supraq; feruntur:  
Nunc agitur sursum pendens, nunc illa deorsum:  
Nec mora nec requies, abeunt calumq; diesq;.

**C** Horrida

## EVANGELIA

Horrida tempestas vires acquirit cundo.  
Talia dum fiunt, rerum ceu nescius harum,  
Puppe iacens ima somnum capiebat Iesus.  
Protinus accedunt trepidi, turbantq; quietem  
Discipuli Dominum tali sermone uocantes:  
Surge Deus seruaq; tuos, namq; ecce perimus  
Fluctibus in medijs tecum, nisi tute iuuabis.  
Euigilans Christus mox talibus increpat illos:  
Cur homines paruae fidei tam dira timetis?  
An ignota adeo Diuina potentia uobis?  
Creditis & uestri sic me dimittere curam?  
Nec mora, consurgens uentisq; mariq; mimatur.  
Continuo uenti ponunt, & seua quierunt  
Aequora, tempestasq; retro sublapsa recessit,  
Lataq; pacato rediere silentia ponto.  
Talia cernentes homines mirantur & aiunt:  
Ille quis est Vates, cui uentus & aequora parent?

IDEM EVANGELIVM ALIO TEMPORIS  
paraphrastikōs elaboratum.

**C**VM noua doctrina iūgēs miracula Christus,  
Per medios fines Galilæe diuitis iret.  
Et populi densum concurreret agmen ad illum,  
Discendi studio præclaraq; facta uidendi,  
Nauiculam remis terræ conscendit adactam

ulterior

DOMINICALIA.

Vltiore iubens populum consistere ripa.  
Illum discipuli per lignea transtra sequuntur.  
Vix medium stagni cursu properante tenebant:  
Cymba pari spacio terra distabat utraq;  
Cum subito insurgēs permagnus in æquore motus  
Exoritur seuo fremitu spirantibus Euris,  
Instabilem qui imis uertebant sedibus undam:  
Iamq; super cymbam fluctus tolluntur aquarum,  
Et modò terribili nauis sorbetur hiatu,  
Nunc urgente salo sublimis in aëre pendet,  
Hic Acheronta uidens, illic prope sydera tangens.  
Protinus ingentem pauidi cepere timorem  
Discipuli, uasto metuentes æquore mergi:  
Incerti trepidant medio in discrimine rerum:  
Quippe nec ad portum retro redisse licebat,  
Anchora nec fundo potuit se figere in imo,  
Tanta procellosi fremit inconstantia ponti.  
Omnia uoluuntur sursum pariterq; deorsum,  
Nec rabies uenti, maris aut insania cessat,  
Sed magis insurgunt spacio crescuntq; procellæ,  
Eripiunt calum nubes, lumenq; diei  
Obscurant nebulae, crebris micat ignibus æther:  
Deniq; presentem minitantur singula mortem.  
Interea tanti ceu nescius ipse pericli

C 2 Puppe



EVANGELIA

Puppe quiescebat Dominus compostus in ima,  
 Subdita cui molles præbebat culcitra somnos.  
 Non tulit ulterius mens anxia Discipulorum  
 Rectorem dormire suum crescente periclo.  
 Namq; illi pariterq; sibi gens cæca timebant.  
 Ergo quiescentem tali clamore petentes  
 Turbarunt placidi tranquilla silentia somni:  
 Aspice sub quanto uersamur Christe periclo,  
 Quos cælum uentiq; premunt agitantq; procellis  
 Nec sine te nobis superest spes ulla salutis.  
 Surge igitur, nostroq; pius succurre labori:  
 Te moueant tanti communia damna pericli:  
 Longius auxilium nec tali tempore differ,  
 Nosq; tuos serua tecum uenerande Magister:  
 Ni facis, extrema iam morte peribimus omnes.  
 Talibus orabant afflicto corde uocantes.  
 Sustulit ille caput, somnumq; absterxit ocellis:  
 Tum circumspiciens irato lumine pontum  
 Talibus increpuit dubitantia pectora dictis:  
 O homines parue fidei, mentisq; pusille,  
 Quid me solliciti tantum præsentem timetis?  
 An ignota manet uobis Diuina potestas?  
 Aut sobolem summi non me liquet esse parentis?  
 An ne perire Deum pelago sic posse putatis?

Desertorq;

## DOMINICALIA.

Desertosq; suos dubijs dimittere rebus?  
Nec prius auxilium tulimus maiore periclo?  
Immutate animos, uanum remouete timorem,  
Quodq; mihi imperium cæli terræq; marisq;  
Si dubitatis adhuc, facto cognoscite in isto.  
Dixit: & exurgens dat iussa furentibus Austris,  
Sedariq; iubet fluctus & murmura ponti:  
Nec minus amouit nubes, cælumq; serenans,  
Et solem terris, & pacem reddidit undis:  
Ortaq; post tenebras lux est, post nubila Phœbus,  
Apparent liquido tranquilla silentia ponto,  
Nauis & in portum cursu felice reducta est.  
Talia conspiciens fûsum per littora uulgus  
Miratur factum Domini, uocemq; potentem.  
Cui mare, cui cælum parent, uentiq; ministrant.  
Omneis inter se tali sermone fremebant:  
Qualis hic est, quantaq; Deus uirtute putandus?  
Aequora cui & uenti tanto famulantur honore,  
Omnia ceu rerum Dominoq; Elementa ministrât.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAS

EVANGELIUM MATTHÆI XIII.

ARGUMENTVM.

Praua bonum semen zizania nascitur inter,  
In medium tandem conijcienda rogum.

C 5 Tractabat

EVANGELIA



**T**Ractabat Christus, caelestia regna docendo,  
 Discipulos permulta monēs, populūq; sequen  
 Cumq; diu studio fecisset uerba fidei, (tem.  
 Ulterius pergens simili sic coepit ab isto:  
 Per simile est homini Regnum caeleste colono,  
 Qui bona commisit foecundae semina terra,  
 Discessitq; domum rediens semente peracta.  
 Ast homines quando capiebant nocte quietem,  
 Perfidus hostis adest, zizania noxi spargens  
 In medio agrorum, sata ne sincera manerent,  
 Sed lolio fruges mixtae premerentur iniquo.  
 Cum uero letam seges accreuisset in herbam,  
 Iamq; suos ferret maturo semine fructus,  
 Plurima completis uisa est zizania campis,  
 Et lolium culmo dominari coepit inani.  
 Indoluere pij famuli, Dominumq; petentes

Talia

## DOMINICALIA.

Talia dixerunt: An non bona semina terræ  
Mandasti: unde tuo zizania crescit in agros?  
Deprimit & segetem prærepto humore cadentem.  
Respondit seruis Dominus: quæ damna refertis,  
Hæc inimicus homo malè fido pectore fecit,  
Cui sunt insidiæq; & nostra incommoda cordi.  
Excipiunt famuli: num uis zizania promptis  
Vellere nos manibus, segetumq; excindere pestem?  
Ille refert: nolite mei, nolite ministri,  
Ne dum colligitis leto zizania campo,  
Vellatis segetem pariter, prodesse uolentes  
Obstitisq; magis: zizania linquite crescant,  
Adueniant donec matura tempora messis.  
Tunc ego mandabo messoribus ista locutus:  
Colligite imprimis zizania falsa per agrum  
Sedula turba meum, collectaq; fasce ligantes  
Stringite, quò medios clibani mittantur in ignes:  
Inde bonas segetum fruges stringente maniplo  
Nectite iungentes, subq; horrea nostra referte:  
Vt bona seruentur telluris semina culta,  
Quæq; nihil profunt, pereant zizania flammis.  
Nam bona seruari, perdi uiciosa merentur.

DOMINICA SEPTVAGESIMAE.

EVANGELIUM MATTHÆI XX.

C 4 ARGV-

# EVANGELIA

ARGUMENTVM.

Conducit Dominus diuerso tempore seruos,  
Mercedem cunctis distribuitq; parem.



**C**um populū Christus Celestia regna doceret  
Hoc simili cœpit sermonem ducere porro:  
Diues erat quidam uillæ possessor in urbe,  
Maxima cui longos complebat uinea colles,  
Vnde per autumnum dulcissima uina legebat.  
Exijt hic ortæ sub tempora prima diei,  
Ad conducendos digna mercede ministros,  
Assiduis quorum coleretur uinea rastris.  
Obtulit ad talem quosdam fortuna laborem,  
Corpore præstantes ualido, magnisq; lacertis,  
Qui suspensa humeris secum instrumenta ferebant:  
Cuilibet addicto precio seruire parati,  
Hos ubi compellat Dominus, mercede diurna

Conuenere

## DOMINICALIA.

Conuenere super, cessit Denarius uni.  
Accepere uiri pactum, dimisit euntes,  
Commonstratq; uiam Dominus, promptosq; labori  
Exigit ad uites multo sudore colendas.  
Tertia iam clara processerat hora diei,  
Exijt ille iterum plures conducere seruos:  
Viq; forum subiit, robusto corpore quosdam  
Inuenit stantes atq; oia uana terentes.  
Protinus accedens compellat talibus ipsos:  
Vos etiam ite uiri, colitur qua uinea nobis,  
Cumq; alijs seruis fidum exercete laborem,  
Vespere quem uobis iusta mercede rependam.  
Illi omnes abeunt, & tradita iussa capeffunt:  
Feruēt opus, crescunt numero crescente labores.  
Fecit idem sextam dominus, nonamq; sub horam,  
Conducens alios, & qua sita uinea mittens,  
Omnibus equali pactus mercede laborem.  
Exijt undecimam rursus, uelut antè, sub horam,  
Inq; foro stantes alios inuenit, ad illos:  
Cur hinc statis, ait, per tempora longa diei?  
Nilq; laborantes, & præmia nulla ferentes  
Ignauo teritis lucem quam longa ueterno.  
Respondere uiri: nemo conduxit. at ille:  
Ite igitur celeres, mea qua uimeta coluntur,

C S Cumq;

## EVANGELIA

Cumq; alijs seruis duros tractate bidentes,  
Et quod erit iustum digna mercede feretis.  
Iamq; dies exactus erat, cum uespere sero  
Defessi ueniunt ad herilia tecta ministri,  
Detur ut exacti merces promissa laboris.  
Aduocat Oeconomum Dominus, cui talia fatum:  
Huc ades o rerum curator fide mearum,  
Et precium seruis hodierni solue laboris,  
Quos ego conduxī, ad uites misiq; colendas:  
Incipe ab extremis, tum da sua premia primi.  
Exequitur iussus citò procurator herilis,  
Ordine quosq; uocans: primi uenere sub horam  
Vndecimam misī, datus est Denarius illis.  
Hoc ubi qui primi exierant uidere, repente  
Premia danda sibi meritò maiora putabant,  
Sed datus est illis tantum Denarius unus.  
Hic uerò occulte coeperunt murmura uocis  
Aduersus Dominum, tali sermone loquentes:  
Ecce laborantes horam non ampliùs unam.  
Esse pares nobis precio mercedis iniquo  
Fecisti, longum tulimus qui pondus est sum,  
Premia non æquo quare das æqua labori?  
Commouit Dominum primæ uox inuida turba,  
Atq; ita respondit, qui talia dixerat, uni:

Iniqui

DOMINICALIA.

Iniuste facio quidnam tibi, profer amice?  
An tibi condictus Denarius ante, negatur?  
Nunc iterum pacta quid de mercede laboras?  
Tolle tuum dico, nec sis mihi plura molestus.  
Ast ego postremo tantum uolo soluere, quantum  
Reddo tibi, legem nec tu mihi ponere debes:  
An mihi de proprijs non sic disponere rebus  
Sit licitum, sicut mea fert propensa uoluntas?  
An tu, largus ego quia sum, transuersa tueris?  
Inuidus & rixas aliena ob commoda misces.  
Ergo sile, tum sorte tua contentus abito.  
Sic etiam fient, quæ turba nouissima, primi:  
Quiq; prior fuerat, tandem postrema tenebit.  
Multi etenim quamuis ad Cælica regna uocentur,  
Attamen electos lux arguet ultima paucos.

DOMINICA SEXAGESIMAE

EVANGELIUM LVCAE III.

ARGUMENTVM.

Semina iacta cadunt diuersis finibus agri,  
Quartaq; uix fructum pars tulit inde bonum.  
**A**D Christū populi cū plurima turba ueniret,  
Vicinasq; citi properarent urbibus omnes,  
Discendi studio simul & miracula uidendi,  
Orsus ab hoc simili sermonem coepit Iesus:

Exijt



EVANGELIA



- Exijt in campum lati possessor agelli,  
 Ut sua frugifera mandaret semina terra:  
 Dumq; iacit latum salientia grana per aruum,  
**I** Pars quaedam cecidit per publica strata uiarum,  
 Turbaq; praeteriens pedibus contriuit, & illud  
 Quod reliquum mansit, caeli rapuere uolucres,  
**II** Altera pars duri lapsum super aspera saxi,  
 Ut fuit enatum, ueniente exaruit aestu:  
 Deficiebat enim largus radicibus humor,  
 Nec poterant illae ramos demittere in altum,  
**III** Tertia pars spinas lapsum fuit inter acutas,  
 Quae simul exortae nascentia grana flagellis  
 Suppressere suis, mediaq; intercidit herba  
 Suffocatae seges, nec robore creuit in altum,  
**IIII** Vltima pars Cereris medium iactata per aruum,  
 Decidit in pinguem laeto uelut ubere terram,  
 Enatiq;

DOMINICALIA.

Enatumq; fuit felici germine sursum,  
Protulit & plenam largo cum scœnore messem,  
Quolibet è grano uel semina centupla reddens.  
Talia uoce loquens alta clamabat Iesus:  
Discere quisquis auet, cupidas huc arrigat aures.  
Protinus accedunt charum rogitantq; Magistrum  
Discipuli, factò lateat quis sensus in illo:  
Quid uelit agricolæ semen iactantis imago,  
Tunc ita sermonem repetens respondit Iesus:  
Vobis nosse datum Regni mysteria Cæli,  
At reliquis tantum dubijs audire parabolis,  
Ut uideant quamuis, nequeant tamen illa uidere:  
Audierintq; licèt, non intellecta relinquunt.  
Obinet at talem narrata Parabola sensum:  
Semina sunt sacri cælestia dogmata uerbi,  
Quæ bonitate Dei populos sparguntur in omnes,  
Ut pariant dignos humano in pectore fructus,  
Ipsius ad laudem Domini nostramq; salutem.  
Grana uiam iuxta sed enim quæ lapsa fuerunt,  
Hi sunt qui primùm cælestia uerba benignis  
Auribus accipiunt, tales ut inamq; manerent. 1  
Nam malus incautis plerumq; superuenit hostis,  
Eripiens haustum medio de pectore uerbum,  
Altiùs ut nequeat radices spargere firmas.

Nec

E V A N G E L I A

Nec fieri possint credendi pectore salui.

II At quæ grana super petram cecidere rigentem,  
 Hi sunt, qui uerbum, quando est audire potest,  
 Leticia excipiunt magna, summoq; fauore,  
 Principioq; boni feruent, illoq; triumphant:  
 Sed quia radices tenero sub germine desunt,  
 Nulla subest illis fidei constantia coepta.  
 Creditur ad tempus, tum si tentatio forsan  
 Ingruat, & duros pariat fortuna labores,  
 Continuò trepidi mutata mente recedunt,  
 Dissimilesq; sui parua redduntur in hora:  
 Impetus omnis abit, pietasq; in pectore friget.

III Quod uerò in spinas descendit semen acutas,  
 Hi sunt, auditi qui cælica dogmata uerbi  
 Conseruare quidem uellent, sed cura fatigans  
 Sollicitas mentes, & amor sceleratus habendi,  
 Ille crebrisq; potens humana uoluptas  
 Impediunt, tales mundi sub iura trahentes,  
 Ut nequeant animum sacris intendere rebus,  
 Sed studium uitæ terrenorumq; bonorum  
 Suffocat primum Regni cælestis amorem:  
 Non secus ac herbas premit inuida spina minores.

III At quæ frugiferam tetigerunt semina terram,

DOMINICALIA.

Sunt hi, qui uerbum sincero corde bonoq;  
Accipiunt primū, simili studioq; reseruant,  
Et pariunt dignos patienti pectore fructus:  
Hos æterna manent celestis præmia uite.

DOMINICA QVINQVAGESIMAE, VEL ESTO MIHI,  
EVANGELIUM LUCÆ XVIII.

ARGUMENTVM.

Predicit socijs, quæ sit passurus Iesus,  
Inq; uia cæcum posse uidere facit.



**D**iscipulos Solymam rediēs assumpsit Iesus  
Dumq; uiam faciunt, tali sermone profatur:  
En Hierosolymam fratres conscendit in urbem,  
Ut consumentur, sacris quæ scripta Prophetis  
De nascente Dei nato sub carne fuerunt.  
Gentibus hic odio populi tredetur iniquo  
Ipse, sui, lusūq; feret sannasq; malorum.

Conspuet

## EVANGELIA

Conspuet innocuos etiam plebs impia uultus,  
 Inde flagellatum scelerata morte necabunt  
 Crudeles, figentq; cruci, morietur in illa.  
 Et tamen emerget terna post luce resurgens.  
 Talia uaticinans socijs narrabat Iesus,  
 Sed non ista animis intellexere, latebant  
 Omnia discipulos obscuro condita sensu,  
 Nec cognoscebant quæ dicebantur ab illo.  
 Progrediens igitur Iericho cum uenit ad urbem,  
 Puniceis quæ clara rosas celebratur, Iesus:  
 Ecce uiam iuxta cæcus residebat, ab omni  
 Pretereunte stipem populo & poscebat egenus.  
 Hic ubi sentiret turbam transire, rogauit  
 Quis nam, tanta cohors quem sic comitetur, adesset.  
 Respondere uiri: Nazarenus transit Iesus,  
 Quæ Domini magnū cognoscimus esse Prophetæ  
 Quippe solet morbos tantum curare loquendo,  
 Defectusq; hominum solo depellere tactu.  
 Tanta uiro uirtusq; subest & tanta potestas.  
 Restitit ad nomen Domini mendicus, & alta  
 Voce sonans: Miserere mei, clamauit, Iesu,  
 Vnica Davidis proles de sanguine Regum.  
 Talia dicentem uerò quæ turba præibat  
 Duriter increpitans clamando abstinere iussit.

Alle

DOMINICALIA.

Ille magis contra pleno sic ore sonabat:  
Davidis miserere mei sanctissime fili.  
Constitit ad uocem tanti clamoris Iesus,  
Adductumq; sibi cæcum prope sistere iussit.  
Cumq; propinquasset, tali ipsum uoce rogauit:  
Dic age, quid faciam tibi uis charissime fili?  
Ille refert: oculis uisum da Christe priorem,  
Luce frui ut possim, & rerum cognoscere formas,  
Post tenebras liceat cali conuexa tueri,  
Respice me, Visum reddo tibi dixit Iesus,  
Namq; fides morbo saluum te fecit ab omni.  
Protinus ex oculis miseri caligo recessit,  
Amisamq; diu coepit cognoscere lucem  
Aspiciens calum, terras, hominesq; uiamq;.  
Nec mora prosequitur pergentem gratus Iesum  
Laudibus extollens, qui munera tanta dedisset.  
Talia cum fieri plebs circumfusa uideret.  
Obstupuit Christi uires mirata potentes,  
Glorificansq; Deum Iericho deduxit euntem.  
Omnibus unus erat super hæc miracula sermo.

DOMINICA INVOCAUIT.

EVANGELIUM MATTH. III.

ARGUMENTUM.

Ducitur in syluas, ut ibi tentetur, Iesus:

Hunc Satanæ technis aggrediturq; tribus.

D Spiritus

EVANGELIA



**S**piritus in sylvas desertaq; duxit Iesum,  
 Vt graue sentiret tentamen ab hoste maligno  
 Iamq; quater denis ieiunia longa diebus  
 Et totidem noctes tulerat, cum deniq; coepit  
 Esuriens sentire famem, Tentator ad illum  
 Protinus accessit milleno praeditus astu.  
 Ante pedes lapidum cumulus tum forte iacebat,  
 Quem digito monstrans ad Christum perfidus impius  
 Si soboles es uera Dei, tunc effice panes  
 Hos lapides, perpeffa quibus ieiunia pellas.  
 At legimus scriptum contra respondit Iesus:  
 Panibus e solis hominem non uiuere quenquam,  
 Sed potius uerbo, quod prodit ab ore Tonantis,  
 Talibus exactis iterum tentator Iesum  
 Aggrediens sanctam Solymarum duxit in urbem  
 Summa super celsi statuens pinnacula templi,

DOMINICALIA.

Atq; ait: es summi soboles si uera parentis,  
Hæc te præcipites lapsu properante deorsum.  
sic etenim scriptum: De te mandata ministris  
Tradidit Angelicis, ut te comitentur euntem,  
Supponantq; manum pedibus, ne fortè rigenti  
Duriter impingens lapidi uestigia lædas.  
Respondit Christus contrà: Scriptura profatur,  
Aeternum tentare Deum Dominumq; cauet.  
Tunc iterum Satanas ipsum deduxit in altam  
Aërei montis rupem, spectansq; deorsum  
Commonstrat populos, & regna potentia mundi,  
Et quoscunq; tenet pulcherrimus Orbis honores,  
Mox ait: hæc per me tibi propria cuncta dabuntur,  
Poplite curuato si me prostratus adores.  
Audiit ut uocem diram, respondit Iesus:  
Iprocul hinc Satana, sacro quia codice scriptum,  
Solutus adorandus Deus est, solusq; colendus.  
Protinus aufugiens Demon discessit, inanem  
Se luisse operam frustra indignatus: & ecce  
Angelici coetus ueniunt, Christoq; ministrant.

DOMINICA REMINISCERE.

EVANGELIUM MATTH. XV.

ARGUMENTVM.

Pro nata mulier rogitat Cananæa, nec antè

Desinit, à Christo quàm sua uota ferat.

D 2 Chri-



EVANGELIA



**C**hristus ubi fuerat Solyma digressus ab  
 Sydonis atq; Tyri letas concessit in oras  
 Ecce uenit mulier Cananæ gentis alumna,  
 Finibus hæc egressa suis quærebat Iesum:  
 Quem postquam uidit curuato poplite supplex  
 Procubuit tali Dominum clamore salutans:  
 Dauidis miserere mei sanctissima proles,  
 Filia Dæmonio malè nam uexatur atroci.  
 Auertit faciem, nec uerbum reddidit ullum  
 Christus: ibi socij Dominum sermone petentes  
 Dicebant: age nunc miseram dimitte Magister,  
 Anxia prosequitur quia nos clamore sonant:  
 Fac materna tuam moueat miseratio mentem.  
 Protinus ille refert: Ego non sum missus ad omnes  
 Israëlita sed oues de gente relictas.  
 Illa redit, Christumq; solo procumbit adorans,  
 Sollicita

## DOMINICALIA.

Sollicito talem depromens pectore uocem:  
Respice me miseram Deus, & succurre precanti:  
Si non uis matris, natæ miserere dolentis.  
Gratia si natæ leuis est, succurre parenti,  
Atq; duas uno clemens in corpore serua.  
Ille uidens toruum dictis respondet amaris:  
Improba quid toties uana me uoce fatigas?  
Non est consultum natis subducere panem,  
Indignisq; manu stolidi præbere catellis.  
Territa non cedit mulier, sed talia reddit:  
Vera quidem dicis mundi Saluator Iesu,  
Sed tamen à mensa Domini si mica resultans  
Decidat, haud paruis est interdicta catellis:  
Nec prohibet quisquam cupido legisse palato.  
O mulier tua magna fides, respondit Iesus:  
Cuncta tibi fiant tali quæ corde petisti.  
Vade domum, saluamq; tuam complectere natam,  
Quæ tibi præsentem uiuit sanata sub horam.

DOMINICA OCULI.

EVANGELIUM LUCÆ XI.

ARGUMENTVM.

Demonium muto eijcitur, maledictaq; Christus  
Diluit, & quæ sit turba beata docet.

D 3 Dec

EVANGELIA



**D**Aemonium uirtute Dei pellebat Iesus  
 Ex homine obfesso, cui uocis ademerat  
 Spiritus immundus: qui postquam cecidit ab illo,  
 Continuò mutus coepit sermone profari,  
 Munere pro tanto Christo praeconia reddens.  
 Admiratur opus Domini pia turba potentis,  
 Quae tum fortè aderat miracula talia cernens.  
 Ast alij studio caelestia facta maligno  
 Talia carpentes Christo conuicia dicunt:  
 Demonas expellit uirtute Beelzebub iste,  
 Spiritum paret cui subdita turba mimorum:  
 Hinc illi cedunt, & tradita iussa capeffunt.  
 Tentantes alij de caelo signa petebant,  
 Credere tum demum quasi post miracula uellent  
 At Dominus mentes tacitas cognouit eorum,  
 Utq; redargueret prae conuicia linguae,

Talia

## DOMINICALIA.

Talia mox turbæ respondit uerba priori:  
Omne quod inter se diuisum cœperit esse,  
Destruitur firmumq; nequit consistere Regnum,  
Et domus una cadens aliam super acta recumbet:  
Sic etiam Satanas, sibi si contrarius ipsi est,  
Qua ratione suum Regnum seruare ualebit?  
Dicitis idcirco falsum, me pellere nigros  
Dæmonas inferna Satanae uirtute potentis.  
Non Satanas pellit Satanam, sed protegit illum,  
Ipsius ut Regni maneat firmata potestas.  
Si tamen efficio uirtute Beëlzebub ista,  
Dicite quo uestri faciunt in nomine nati  
Talia? num plenos quoq; Dæmonis esse feretis?  
Illi iudicium debent proferre super uos,  
Vestraq; de nostris damnabunt crimina factis.  
Ast ego si digito Domini de corpore pello  
Dæmonas humano, cælestia regna profecto  
Ad uos perueniunt, quæ suscepisse decebat,  
Nec tam uesanis conuicia promere uerbis.  
Atria custodit quando sua fortis in armis,  
Tunc in pace manent, quæ possidet ille, quieta:  
Fortior at si quis ueniens deuicerit illum,  
Auferet arma uiro, quibus est confidere suetus,  
Diuidet & forti spolia acquisita duello.

D 4 Qui

## EVANGELIA

Qui non est mecum, contrarius esse uidetur:  
Colligit & qui non mecum, dispergit inanis.

Spiritus infestans hominem si quando reliquit  
Improbis, abscedens loca per deserta uagatur,  
Et requiem querit, si non tamen inuenit illam,  
Sic sceleratus ait: rursum mea tecta subibo,  
E quibus egressus fueram, quæq; antè tenebam.  
Protinus adueniens ubi mundam repperit intus  
Esse domum, scopis puram, uarieq; decentem:  
Tunc iterum uadens assumit Dæmonas unâ  
Secum alios septem, peiores scilicet ipso,  
Adducitq; simul: mox ingrediuntur ouantes,  
Et uelut obsessa læti dominantur in aula,  
Nequitia omne genus per singula membra cienti  
Deteriorq; hominis fit sors postrema priori.  
Tales diuino cùm funderet ore loquelas,  
Et Satanam contra Christus uigilare moneret,  
Ne semel eiectus sub limina sœta recurrat,  
Audijt in medio dicentem fœmina cœtu,  
Concipiensq; novos imo sub pectore motus  
Sustulit exclamans talem de gutture uocem:  
Felicem ô uentrem, qui te portauit, Iesu:  
Vbera & ô nimium plus terq; quaterq; beatâ,  
Que puerum matris gremio pauere iacentem.

Rettilia

DOMINICALIA.

Rettulit at contra Christus: magis imò beati,  
Qui uerbum Domini accipiunt retinentq; fideles,  
Hos promissa manet caelestis portio Regni.

DOMINICA LAETARE.

EVANGELIUM IOAN VI. CAP.

ARGUMENTVM.

Millia quinque uirum per panes quinque duosque  
Implentur pisces, Regnaque Christe fugis.



**T**alibus exactis Galilæi transijt undas  
Aequoris, ingrediens cōtraria littora Christus  
Maxima quem populi comitantis turba secuta est.  
Nam benefacta Dei mirandaq; signa uidebant,  
Quæ super infirmos peragebat uoce potenti.  
Protinus in montem celsum conscendit Iesus,  
Atq; ibi discipulos inter de more sedebat.  
Festa dies Paschæ Solymæ gratissima genti

D S Non

E V A N G E L I A

Non procul instabat, primo cum uere propinquas.  
 Sustulit ergo oculos Christus, turbamq; frequentē  
 Aspiciens tali compellat uoce Philippum:  
 Vnde precor panes, quibus hi pascantur, ememus!  
 Talia dicebat sed enim tentaret ut illum:  
 Nam quid factururus per se foret, antē sciebat.  
 Anxius ast tali respondit uoce Philippus:  
 Bis centum pro Denarijs, mihi crede, Magister.  
 Non huic sufficerent panes in fercula turbae,  
 Quilibet ut paruam posset sibi sumere partem.  
 Tunc ē discipulis Christi sic rettulit unus,  
 Filius Andreas Ionæ fraterq; Symonis:  
 Nouimus hic puerum uicina in ualle morantem,  
 Cui sunt quinq; domi panes, piscesq; gemelli:  
 Verūm hæc in tanto populo quid pauca ualerent!  
 Nec mora, Discipulis mandat præceptor Iesus,  
 Ut faciant totam per humum discumbere turbam.  
 Gramina quippe aderant, scenumq; sedilibus aptis  
 Discubuere solo tum millia quinq; uirorum.  
 Terra dabat mensas, & mollia gramina lectos.  
 Hic panem digitis tollens accepit Iesus,  
 Cumq; Deo grates solito dixisset honore,  
 Discipulis frangens tum porri git: hiq; uicissim  
 Distribuunt plebem Cerealia dona per omnem.

Insuper

DOMINICALIA.

Insuper & bimos, fluuialia munera, pisces  
Diuisos præbent populo, cunctisq; ministrant.  
Nec deerat potus rapido sitientibus aflu,  
Dulcia præbebant uicini pocula fontes.  
Iamq; impleti omnes fuerant, largeq; resecti,  
Nec quisquam in tanto populo malè pastus abibat.  
Discipulos iterum cùm sic affatur Iesus:  
Colligitè ô socij, quæ nunc fragmenta supersunt  
Omnibus è mensis, nec parua perire sinatis,  
Ne per humum iaceant pedibusq; indigna terantur:  
Omnia sunt siquidem diuinæ munera dextræ,  
Quæ seruare decet, non uano perdere luxu.  
Illi iussa Dei studio feruente capessunt,  
Reliquiasq; legunt, ne quid perdatur abusu.  
Impleuere decem & bimos fragmenta canistros,  
Quæ collecta super, populo spectante, fuerunt  
Panibus è quinibus, de piscibus atq; duobus,  
Cùm prius immensæ satiaffent uiscera turbæ.  
Quando homines uerò miracula tanta uidebant,  
Quòd dape tam parua tot repleuisset Iesus,  
Deq; cibo tantum pauco superesset, ibi omnes  
Vnanimi inter se sunt talia uoce locuti:  
Scilicet hic uerè est Solyma de gente Propheta,  
Præscia quem ueterum cecinere oracula Vatum

Cala



## EVANGELIA

Celo uenturum, qui totum liberet orbem.  
Ast ubi cognouit uenturos Christus, ut ipsum.  
Imposito magnum facerent Diademate regem,  
Aerei solus secessit in auia montis,  
Quæsitum populus quò non reperire ualeret.  
Atq; ita mundanos fugit Saluator honores,  
Significans aliud se longè quærere regnum.

DOMINICA IVDICA.

EVANGELIUM IOAN. VIII.

ARGUMENTVM.

Dum sine peccato, sine Demone se probat esse  
Christus, in insontem iam prope saxa uolant.



**D**icite quis uestrum me criminis ultor iniqui  
In simulare potest ulla ratione peccati  
Vel male uiuendo, uel non quæ recta docendo:  
Quòd si uera loquor, cur non mihi creditis ipsi?  
Et

## DOMINICALIA.

Est quicumq; Deo celesti semine natus,  
Illius accipiens hic uerba fideliter audit.  
Auribus idcirco uos non auditis iniquis,  
Quippe Dei proles minimè, sed Dæmonis estis.  
Protinus irati sic respondere uicissim:  
Nonne iterum rectè, sicut quoq; diximus antè,  
Quòd Samaritanus sis, Dæmonioq; regaris?  
Talia depellens conuicia dixit Iesus:  
Non ego Dæmonio teneor, sed honoro parentem.  
At mihi uos nullum contrà præstatis honorem,  
Quin ignomina potius me leditis omni.  
Sed mihi, quicquid ago, non gloria queritur unquã  
Propria, sed summi laudesq; decusq; parentis.  
Nec tamè est nullus nostrum qui querit honorem,  
Iudicat & cunctos in me scelerata loquentes,  
Huius iudicium non effugietis, iniqui.  
Hoc equidem dico uobis, protestor & Amen:  
Sermonem quicumq; meum seruauerit, ille  
Viuet in æternum, nec tristia fata uidebit.  
Tum dixere uiri contraria uerba sonantes:  
En iterum clarè uerbis cognoscimus istis,  
Dæmonio uerè quòd possidearis iniquo,  
Cum mortalis homo tamen immortalia iactes.  
Mortuus est nostræ gentis præcessor Abraham,

EVANGELIA

Et reliqui sua fata simul subire propheta,  
 Tu tamen hinc dicis: si quis tua iussa tenebit,  
 Tristia non non unquam sensurum uulnera lethi.  
 Tunc igitur nostro (scelus) es patre maior Abraham  
 Qui subiit terram moriens, alijq; Propheta.  
 Quem tamen ipse facis tandem te corde superbos  
 Christus ad hæc contrà respondens talibus inquit:  
 Si me glorifico proprijs sermonibus ipsum,  
 Tunc mea pro nihilo ceu gloria nulla putada est:  
 Sed pater in celo, qui subdita cuncta gubernat,  
 Is me glorificat, Natumq; fatetur ab alto.  
 Dicitis hunc uestrum Dominumq; Deumq; uocâtes,  
 Nec tamen, ut fas est, uerè cognoscitis illum:  
 Ipse autem nouiq; Deum, uenerorq; parentem.  
 Atq; ego si dicam, quod non mihi cognitus ille,  
 Tunc similis uestrum fierem mandacia iactans:  
 Sed Dominum uerè noui, mandataq; seruo.  
 Eloquar hoc etiam, sed non credatis iniqui,  
 Quod genitor uestre gentis primæus Abraham  
 Optauit nostrum tempusq; diemq; tueri:  
 Cumq; oculis fidei uenturam cerneret illam,  
 Exultauit ouans, & pectore latus ab imo.  
 Talibus auditis iterum dixere frementes:  
 Nondum lustra decem numerat ætatis adulte,

Et

DOMINICALIA.

Et uidisse tamen sanctum profiteris Abraham,  
Ante dies nostros quem secula multa tulerunt.  
Non tacuit Christus, sed talia reddidit illis:  
Vera loquor uobis, per summum & iuro parētem,  
Antē foret uestrae genitor quā gentis Abraham,  
Ipse sui, Cælum sunt & mihi sydera testes.  
Illi indignantes magno cum murmure duos  
Attollunt manibus lapides, iētumq; mimantur  
Grandine saxorum, petituri corpora Christi.  
Protinus abscessit seseq; abscondit Iesus,  
Cum malo populo templum sublime reliquit.

DOMINICA DOMINI, VEL PALMARVM.

Quere Euangelium in prima Aduentus.

DE VNCTIONE CHRISTI A MULIERE  
FACTA.

EVANGELIUM MATTH. XXVI.  
ARGUMENTVM.

Vnguento Mulier crimes perfudit Iesu,

Ipse sepulture talia signa probat.

**B**ethania Christus prandebat in aede Symonis  
Cui prius immunde abstulerat cōtagia leprae:  
Iamq; recumbebant conuiuia longa trahentes:  
Ecce uenit Mulier medios ingressa penates,  
Retro effusa comas, & luctu tristis amaro,

Pixide

## EVANGELIA



Pixide quæ tereti preciosa unguenta ferebat  
 Non huic forma decens aberat, cultusq; decori,  
 Sed lachrymæ semper pudibunda per ora fluebat.  
 Ut stetit ad mensam, Dominumq; accessit Iesum,  
 Supplicibus palmis mox est uenerata sedentem.  
 Hinc Alabastra manu tollens effudit odorum  
 Desuper unguentum supra caput illius, atq;  
 Imbuit egregijs fragrantia tempora succis.  
 Illi per crimesq; Dei barbamq; fluebant,  
 Et liquido totum corpus ceu rore rigabant.  
 Hinc se suavis odor tota diffudit in aedes.  
 Hoc ubi uiderunt, eadem quos mensa tenebat,  
 Discipuli, uerbis indignabantur amaris.  
 E quibus exurgens sic proditor inquit Iudas:  
 Quid iuuat incassum preciosos perdere succos?  
 Qui melius uendi poterant, nummisq; receptis,  
 Paupe

DOMINICALIA.

Pauperibus tribui, si alius non postulet usus.  
Audiit has uoces, & sic respondit Iesus:  
Quid miseram uerbo socijs culpatis iniquos?  
Illa opus egregium laudari digna peregit,  
Exhibuitq; sui monumentum & pignus amoris.  
An de pauperibus tantum uos cura remordet?  
Semper erunt uobis inopes, & semper egeni,  
Sed me presentem non semper habere licebit.  
Hunc mihi supremum non inuideatis honorem.  
Postmodò pauperibus melius dare dona potestis.  
Ista quod unguentum nostros diffudit in artus,  
Signa sepulture statuit, mortemq; notauit  
Hec operata meam, supremaq; munera soluit:  
Et mihi uiuenti fecit, quod morte solutis  
Cetera turba solet, frigentia membra perungens.  
Hinc meruit summum nomenq; decusq; referre.  
Atq; ego confirmo hoc uobis, protestor & Amen:  
Vox Euangelij quacunq; sonabit in ora,  
Et mea facta sacris libris ubicunq; legentur,  
Hoc opus æternum nomen mulieris habebit,  
Et uiuet factò iam non mortalis in isto,  
Natorum natis æuo memoranda sequenti.

DE COENA DOMINI,

EVANGELIUM.

B ARGV-

## EVANGELIA

ARGUMENTVM.

*Sanctificat Christus panem unumque liquorem  
Corporis in precium sanguinis atque sui.*



**N**octe sub extrema, Soly mo qua tradit<sup>us</sup> h<sup>ab</sup>  
Proditione fuit scelerati Christus Iude,  
Accipit panem digitis, gratesque pergit,  
Discipulisque dedit frangens, ac talia dixit:  
Accipite unanimes cupidisque absumite linguas,  
Hoc uerè est nostrum panis sub tegmine corpus,  
Quod modò pro uobis morti tradetur acerbum,  
Sumitis hoc quoties (fieri nam sepe iubemus)  
Voce meam mortem toties memorate fideles,  
Qualia pro uobisque tuli fecique referte.  
Hinc ubi pulsa fames, et cœna peracta fuisset,  
Accipit calicem, grates iterumque pergit,  
Discipulisque dedit communi nomine dicens:

Etiam

DOMINICALIA.

Hunc omnes cyathum sacri gustate liquoris:  
Iste calix nostri monumentum & pignus amoris,  
Quem damus, est uerè nostro de sanguine plenus:  
Qui modò fundetur precium pro crimine uestro.  
Hunc igitur quoties b. bitis, memorate fideli  
Ore meam mortem, uestraq; piamina culpæ,  
Nostraq; concordia studio benefacta referte.

DE LOTIONE PEDVM.

EVANGELIUM IOANNIS XIII.

ARGUMENTVM.

Dat pedibus lymphas sociorum Christus, & illis  
Exemplum statuens præcepit ista sequi.

**P**aschatis ante diem cum cognouisset Iesus  
Tempus adesse suum, mundi quò sede relictâ  
Ad patris æterni caelestia regna rediret,  
Omnia præmeditans uoluebat pectore secum,  
Sicut & antè suos uero dilexit amore,  
Quos sibi de mundi populo selegerat omni,  
Illos ad finem quoq; sic constanter amauit.  
Ergo ubi Paschalis iam fercula sumpserat Agni  
Ipse suis cum Discipulis & coena peractâ,  
Mox animo Satanas scelerati immissus iudæ  
Subiecit stimulos, insontem prodere Christum.  
Nescius istorum nec erat Saluator Iesus,

E 2 Norat



## EVANGELIA

Norat enim à summo sibi subdita cuncta parente;  
Et uelut in mundum quondam uenisset ab illo,  
Sic iterum è mundo rediturum sciebat ad ipsum.  
Quare surrexit mensa, uestesq; reiecit,  
Iliq; astringens mundo perizomate cinxit.  
Protinus in peluim latices infudit aquarum,  
Discipulisq; lauare pedes ex ordine coepit,  
Exiccans lotas puro perizomate plantas.  
Talia dum peragit Dominus ceu sorte minister  
Peruenit ad Petrum, qui uoce manuq; repugnant  
Talibus incepit uerbis: Venerande Magister  
Immundos mihi tu ne pedes à sorde lauares?  
Absit ut hoc tantum cupiam permittere crimen.  
Hæc ubi factus erat, contrà respondet Iesus:  
Nunc ego quæ facio, tu non intelligis: olim  
Petre, sed hæc melius renouata mente uidebis,  
Non ergo impediās, sed te permitte lauari.  
Ille refert contrà: nunquam mihi Christe lauabis  
Tute pedes, nec me tali dignabor honore,  
Qui tibi sum potiùs seruire ad cuncta paratus:  
Discipulo non est fas inseruire Magistrum.  
Inquit ad hæc Dominus: Si te non Petre lauabo  
Nulla tibi mecum Regni pars esse ualebit.  
His monitis tandem consensit Petrus, & inquit:

## DOMINICALIA.

Da ueniam dictis, miseroq; ignosce, Magister,  
Erraui fateor, monitus meliora tenebo.  
Tu mihi non tantum pedis inferiora lauabis,  
Sed quoq; Christe manus, si uis, capitisq; capillos,  
Vtraq; nam foeda, ceu pes, quoq; sorde laborant:  
Sic ego mundus ero, partemq; elatus in omnem.  
Christus ad haec rursus: Reliquo qui corpore lotus,  
Non opus est illi solas nisi tergere plantas,  
Cetera quod mundus macula fit purus ab omni.  
Vos quoq; nunc estis mundi, non quamlibet omnes.  
Ista loquebatur, quoniam qui traditor esset  
Ipsius, arcana noscebat mente, futurus:  
Propterea mundos, sed non tamen addidit omnes.  
Iamq; pedes socijs ex ordine lauauerat omnes,  
Munere perfecto sua uestimenta recepit,  
Accumbensq; iterum mensae sic dixit Iesus:  
Quid sibi nostra uelint, socij, num facta tenetis?  
Quidq; pedum scitis uestrorum lotio signet?  
Dicam si cupitis, uobisq; ignota resoluam,  
Discipuli Dominum me dicitis atq; Magistrum,  
Nec male, sum quoniam uerè, semperq; manebo.  
Ast ego si uester Dominus, summusq; Magister  
Talia me placido demittens pectore feci,  
Nec me poenituit uestras abstergere plantas,

## EVANGELIA

Vos quoq; conuenit hæc imitari facta sequenda,  
Vt plantas alijs alij, mea turba, lauetis:  
Nec uos tam uilem pudeat sumpsisse laborem,  
Quem Dominus uester tulit & præceptor Iesus:  
Exemplum uobis præbent mea facta sequendum,  
Sicut ego feci, sic uos faciatis & ipsi:  
Non etenim seruus Dominum præcellere debet,  
Nec mittente suo maior, qui missus, habetur:  
Discipulosq; exempla decet seruare Magistri,  
Sic meritò summam poterunt contingere laudem.

FINIS.

## PERORATIO.

**P**rima mihi sacri pars est exhausta laboris.  
Cuius in Aduentu caput est, in Paschate finis.  
Altera nunc simili studio perfecta sequetur,  
Quæ Ver, Aestatem simul, Autumnumq; peragat.  
Tu modò fac nostras tibi Christe placere Camæni,  
Quæ laudi seruire tuæ super omnia debent.  
Munera nam tua sunt: tu des in carmina uires,  
Et mihi uerus ades uenæ largitor Apollo.  
Sic tua per nostros crescent præconia uersus,  
Hic mihi finis erit solus, nec plura requiram.

SE

SECUNDA PARS

EVANGELIORVM AESTIVALIS.

DOMINICA PASCHAE, VEL RESURRE-  
CTIONIS CHRISTI.

EVANGELIVM MARCI VLTIMO.

ARGVMENTVM.

*Ad tumulum Christi portant unguenta Mariae;  
Angelus ad uitam sed redijisse monet.*



*Abbata transferant depulsis  
prima tenebris,*

*Cum simili studio tres conue-  
nere Mariae,*

*Magdalis, et Iocobi coniūx  
Salomaeq; sorores:*

*Emeruntq; bonis spirantia  
Aromata succis,*

*Scilicet ut Christi uenientes membra perungant,*

E 4 Defun

EVANGELIA

De functoq; suum Domino testentur amorem.  
 Iamq; dies exortus erat post Sabbata primus,  
 Atq; nouum radios spargebat mane rubentes.  
 Protinus ad Christi ueniunt monumenta Maria,  
 Sole recens orto, primæ sub tempora lucis.  
 Dumq; uiam faciunt, inter se hæc uerba loquuntur:  
 Pondera quis nobis lapidis tam uasta reuoluet?  
 Qui super impositus clausi tegit ora sepulchri.  
 Hinc ubi respiciunt oculo propiore, reuulsum  
 Agnoscunt lapidem tumulo saxumq; remotum.  
 Nam prægrandis erat, grauitate immobilis ipsa.  
 Protinus ingressæ uacuum subiere sepulchrum,  
 Spemq; metumq; inter dubia lachrymisq; fluentes.  
 Hic uerò æthereum Iuuenem uidere sedentem,  
 Vestibus indutum niueis, uultuq; decorum,  
 Cuius ab ore nitor splendebat fulguris instar,  
 Obstupuere nouis muliebria pectora uisis:  
 Nec fugisse retro, nec processisse licebat,  
 Sed pauide hærebant, gelidus formidine sanguis  
 Congelat, & pallor defecta per ora cucurrit.  
 Angelus hinc dictis animos solatur & inquit:  
 Ponite sollicitum Mulieres corde timorem,  
 Queritis hic positum Nazaraei corpus Iesu,  
 Qui cruce sustinuit mortem suspensus acerbam  
 Surrexit

DOMINICALIA.

Surrexit tumulo uerè rediuiuus, & ecce  
Hic locus est, in quo posuerunt corpus amici,  
Sed uirtute Dei superas reuocatus in auras  
Viuit, & hinc illum non lumina uestra uidebunt.  
Ite igitur celeres, & nuncia grata referte  
Discipulis, Petroq; simul, quòd uiuat Iesus:  
Præuius hic uobis Galilæis ibit in oris:  
Hinc illum dabitur præsentì cernere uultu,  
Sicut adhuc uiuens prædixerat antea uobis.  
Talibus auditis celes monumenta relinquunt:  
Pectora namq; ingens muliebria terror habebat,  
Nec trepidæ audebant cuiquam sibi uisa referre,  
Sed tacite perguntq; domum, socijsq; propinquât.

FERIA SECUNDA PASCHAE.

EVANGELIUM LUCÆ XXIII.

ARGUMENTVM.

Discipulis Christus se iungit euntibus Emaus:  
Fractura panis noscitur esse Deus.

**O**Rta resurgentis fuerat lux conscia Christi,  
Lucidus et primo fulgebat Phœbus in ortu,  
Cum duo discipuli castrum petiere propinquum,  
Triginta stadijs quod bis distabat ab urbe:  
Nomine dixerunt ueteres Emaunta coloni.  
Iamq; iter ingressi uarias miscere loquelas

E S Incipi-

EVANGELIA



Incipiunt, illis secum de rebus agentes,  
 Præteritis factæ fuerant quæ nempe diebus.  
 Talia dum tractant miscentes uerba uicissim,  
 Ecce propinquauit tanquam peregrinus Iesus  
 Namq; uiatoris faciem cultumq; gerebat.  
 Dexterâ portabat baculum, crinesq; galerum,  
 Lineaq; indutum uelabant pallia corpus.  
 Sic aderat, iunctusq; uiam carpebat eandem:  
 Nec tamen agnouere Deum, sed clausa manebant  
 Lumina, ne scirent, quæ post ad aperta fuerunt.  
 Ille salutato compellat talibus ultro:  
 Dicite sermones quos hîc agitatis amici?  
 Quid ue adeò tristes suspiria crebra mouetis?  
 Arguit occultum facies nam uestra dolorem.  
 Nomine tunc unus Cleophas sic rettulit illi:  
 Tu'ne igitur Solyma sic es peregrinus in urbe,

Solu

## DOMINICALIA.

Solus ut ignores, paucis quæ facta diebus  
Ille refert: quæ facta uiri? narrate precamur.  
Respondet Cleophas: Christum narramus Iesum,  
Urbe Nazaræa genitum, magnumq; Prophetam,  
Insignem factiq; simul uerbisq; potentem,  
Cui Deus ipse aderat præsens, hominesq; fauebant.  
Hunc nostri proceres, quibus & commissa sacrorum  
Cura, sacerdotes odijs immanibus acti  
Damnauere nihil meritum, mortiq; dederunt  
In cruce suffixum latrones inter iniquos:  
At nos Discipuli dudum sperauimus, illum  
Esse redempturum genus Israhelis ab omni  
Pondere, caelestisq; daturum Regna salutis.  
Et iam tertia lux hodie processit ab illis  
Tempore, quo Solymis hæc omnia facta fuerunt,  
Nec tamen amissi spes redditur ulla Magistri.  
Quamlibet è nostra mulieres gente pauorem  
Incussere nouum, nobis miranda ferentes:  
Namq; ubi sub prima petiissent luce sepulchrum,  
Membra perunctura Domini, ne tæbe perirent,  
In tumulo corpus non inuenere iacentis.  
Ad nos continuo redeunt, & nuncia portant:  
Angelicos uultus ibi se uidisse, loquentes  
Vincere Dominum, tumulo cum morte relicto.

Mox



EVANGELIA

Mox abiere aliqui nostrum monamenta petentes,  
 Omniaque inueniunt, mulierum uoce relata  
 Ceu fuerant, sed non Dominum uidere cupitum.  
 Finierat Cleophas, tum sic respondit Iesus:  
 O nimium stulti, predictaque credere tardi  
 Omnia, quae prisci quondam cecimere Propheta.  
 Nonne pati Christum casus peroportuit illos?  
 Perque crucis mortem laudes intrare perennes?  
 Protinus incipiens antiqui Oracula Moysae,  
 Atque Prophetarum de sese arcana reclusit,  
 Scripturae sensum referans sermone latentem.  
 Talia dum loquitur mirantibus inter eundum,  
 Detinet arrectas uerbisque potentibus aures,  
 Interea, quod cursus erat, Castella propinquant,  
 Tempus et hospicij fessis iam tecta subire,  
 Ille uiris coram simulat se longius ire.  
 Detinuere tamen blandis sermonibus ipsum,  
 Atque unum cogunt gemini, sic uoce loquentes:  
 Hac age nocte mane nobiscum chare Magister,  
 Quisquis es, hospitioque libens succede rogatus:  
 Vespera namque diem ueniens inclinat in undas  
 Hesperias, calique micant orientia signa,  
 Quae tenebras secum referunt noctemque profunda  
 Concessit uotis, pariterque intrauit Iesus

Hospicij

## DOMINICALIA.

Hospicij tectum, simulans se uelle manere.  
Excipit ingressos hospes sermone benigno,  
Iam pedibus lotis mensa considerare iussit,  
Vespertina cibus apponens fercula lautis.  
Hic ubi cum socijs iam discubisset Iesus,  
Accepit panem digitis de more prehensum,  
Et solitis orans benedixit uocibus illum:  
Inde manu frangens socios diuisit in ambos,  
In quorum medio praelatus honore sedebat.  
Tunc oculi patuere uiris, Christumq; repente  
Agnouere, leues ille euanescit in auras,  
Talia dicentes medio & sermone relinquit:  
Nonne cor ardebat nostrum, cum diceret ante  
Talia, scripturas sensumq; aperiret in omnes,  
Erudiens doctis sermonibus inter eundum.  
Nec mora surgentes mox hospita tecta relinquunt,  
Correptaq; uia Solymam properanter in urbem  
Festinant, socijs cupidi, quæ uisa, referre.  
Inuenere pios uno sub limine fratres.  
Vno bis senos minus, & quæ cætera turba  
Illis unanimi studio coniuncta manebat.  
Hic socijs narrant alij uenientibus omnes,  
Surrexisse suo rediuiuum corpore Christum,  
Atq; Petro uisum per florida rura Symoni.

EVANGELIA

Ast illi incipiunt rursus narrare diei  
Præteritæ casum, Dominus quo uisus est ipsis,  
Viq; illum agnorint fractura panis: at ille  
Fugerit aërias subito dilapsus in auras.  
Talibus auiditis animi spes maior inhaesit  
Omnibus, et letam pertentant gaudia mentem.

FERIA TERTIA PASCHAE.

EVANGELIUM LVCAE XXIIII

ARGVMENTVM.

Christus adest socijs, iterum sua corpora monstrans  
Insuper ex asso fercula pisce capit.



**T**alia Discipuli dum leta uoce loquuntur,  
Constitit in medio Christus pacemq; precatur.  
Obstupere animi subito terrore pauentes,  
Et se non Dominum sed spectra uidere putabant.  
Protinus incertos sic est offatus iesus:

PeFlor

## DOMINICALIA.

Pectora quid uano turbantur uestra pauore?  
Falsaq; delusas cur uexat opinio mentes?  
Aspicite en lato transfixas uulnere palmas  
Et que clauorum retinent uestigia plantas:  
Nec dubitate magis, sed me cognoscite uero  
Corpore, quo passusq; fui, uitamq; recepi.  
At mea si nondum uobis presentia constat,  
Tangite me digitis, & lumine cernite certo:  
Hic ego sum uerè, nec uos phantasmata ludunt.  
Spiritus haud carnem, uestitaq; carnibus ossa  
Obtinet, hic coram me sicut habere uidetis.  
Ista manus dicens cœpit monstrare pedesq;  
Et contrectandos in corpore præbuit artus.  
Quamlibet, at cernunt oculis, tanguntq; lacertis  
Discipuli Dominum, capiunt uocemq; loquentis:  
Attamen incerti dubitant, sic gaudia mentes  
Spemq; metumq; inter dubias hinc inde trahebat.  
Omnia mirantur, nequeunt explere tuendo  
Lumina, uel certo moniti consistere sensu.  
Tunc malè credentes iterum compellat Iesus,  
Reliquias mensarum aliquas hic nunquid habetis?  
Ipse quibus sedare famem & me pascere possim,  
Ne modo uiuentem, quoq; sed spectetis edentem.  
Protinus assato partem de pisce ferentes

Apponunt

EVANGELIA

Apponunt Domino, mellisq; liquentia dona.  
 Accipit ille dapes, comeditq; uidentibus ipsis:  
 Tum demum firmata magis præcordia credunt.  
 Hinc ubi pulsa fames, iterum sic coepit ad illos:  
 Hæc ea sunt, uobis quæ sæpius antè loquebar,  
 Viuere uobiscum dum me meâ fata sinebant:  
 Si non uecordes animi, meminisse potestis,  
 Omnia sic factis impleri rebus oportet,  
 Quæ digito Moyfi de me conscripta fuerunt,  
 Quæq; Deo pleni quondam cecinere Propheta,  
 Et Iessea sacro sonuerunt carmina plectro.  
 Iamq; patefaciens scripturæ sensa latentis  
 Erudijt socios, lumenq; infudit eorum  
 Mentibus, ut uero possent comprehendere sensu  
 Præscia dicta Patrum, tum sic ait orsus ad illos:  
 Pro dita sic scriptis prædictaq; cuncta fuerunt,  
 In me Discipuli, quæ iam perfectâ uidetis.  
 Sic Christum decuitq; pati, mortemq; subire,  
 Rursus & in uitam terna post luce reuerti,  
 Victorem tristisq; Erebi, mortisq; nefandæ:  
 Vnde sub illius doceatur nomine passim  
 Vera salus, uestræ per cognita crimina culpe  
 Cuncta remittuntur quæ confidentibus illi.  
 Istaq; uulganda est gentes Doctrina per omnes,

Quæ

Quæ

DOMINICALIA.

*Quae Solyma incipiens totum prodibit in Orbem,  
Vestraque uox socij fines exhibit in omnes.*

DOMINICA QVASI MODO GENITI.  
EVANGELIUM IOANNIS XX.

ARGUMENTUM.

*Discipulis clausis foribus se ostendit Iesus,  
Ante negat uerum, quam uidet, esse Thomas.*



**S**abbata lux sero se uespere precipitarat,  
Clarus & Eoa surgebat Lucifer unda,  
Cum foribus clausis animo trepidante sederent  
Discipuli casum Domini mortemque gementes,  
Gentis & ingratae furias iramque timentes.  
Ecce uenit Christus medioque ingressus eorum  
Constitit, & pacem socijs de more precatur.  
Inde manus monstrans & saucia pectora ferro  
Se iubet agnosci, reducemque a funere credi.

**F** Discipuli

EVANGELIA

Discipuli gaudent, Domini manifesta uidentes  
 Corpora, nec dubitant ueros se cernere uultus,  
 Ille iterum linguam tali sermone resoluit:  
 Pax pia sit uobis & mens tranquilla precamur,  
 Sicut ab excelsa Genitor me misit Olympo,  
 Sic ego uos etiam facienda ad munera mitto.  
 Protinus in uultus animam sufflauit, & inquit  
 Accipite en sacrum caelestia munera flamen,  
 Progrediens nostro qui Spiritus exit ab ore,  
 Ille animos firmet ducatq; per omnia uestros.  
 Quorumcunq; remiseritis peccata per orbem,  
 His etiam caeli super arce remissa manebunt:  
 Crimina sed quorum contra retinebitis ipsi,  
 Illa retenta polo, nec condonata manebunt.

Talia cum fierent, Thomas non adfuit illis,  
 A gemino partu Didymi qui nomen habebat.  
 Vnanimis ergo socij dixere reuerso:  
 Vidimus hic uiuum Dominum, nobisq; loquentem.  
 Non habet ille fidem, sed contra talibus inquit:  
 Ni uideam lato transfixas uulnere palmas,  
 Clauorumq; simul digitis uestigia tangam,  
 Et latus attrectem transfixum cuspide longa,  
 Credere non possum, quae uos mihi uerba referitis.  
 Iamq; dies octo fuerant post illa peracti,

Discipuli

## DOMINICALIA.

Discipuli quando rursus, uelut antè, sedebant  
Coniuncti laribus, Dydimusq; interfuit illis.  
En iterum foribus clausis intrauit Iesus,  
Præbuit & sese manifesta in luce uidentum,  
Corpore conspicuo medio stans agmine latus:  
Pax iterum dixit uobis sit læta, sodales.  
Protinus ad Thomam sese conuertit, & illi  
Talia præ reliquis claro sermone profatur:  
Huc ades ô animi uecors & credere deses,  
Huc ades, & nostro digitos in uulnere ponens,  
Aspice transfixas clauorum cuspide palmas,  
Et lateris cernas manantem sanguine fossam,  
Quæq; uides attinge simul, certusq; Magistrum  
Surrexisse tuum, iam noli incredulus esse.  
Pœnitet erroris Didymum, culpamq; fatetur,  
Vixq; potest talem trepidans depromere uocem:  
Tu Deus es Dominusq; meus Saluator Iesu,  
Peccatis ignosce meis, culpamq; remittas,  
Quam nimium dubitans infirmo corde peregi.  
Post modò sed mutatus ero. Respondit Iesus:  
Iam quia uidisti Thoma, nunc credere demum  
Incipis: at credunt qui non sibi uisa beati  
Contentiq; manent uerbo, quod fallere nescit.  
Signa quidè peragens quàm plurima fecit Iesus  
E 2      Conspectus



## EVANGELIA

Conspetu in medio socijsq; uidentibus ipsis,  
Omnia presenti quæ non sunt scripta libello:  
Nam numero uincunt gestarum & pondere reru,  
Hæc autem dedimus compressa uolumine certo,  
Ut credant homines Iesum cognomine Christum  
Esse Dei ueram sobolem par numen habentem,  
Autorem cunctiq; boni, nostræq; salutis.  
Saluifico cuius quicumq; in nomine credent,  
Præmia saluati uitæ cælestis habebunt.

DOMINICA MISERICORDIA DOMINI

EVANGELIUM IOANNIS X.

ARGUMENTVM.

Pastorem se Christus ait, qui ponere uitam  
Pro grege sit promptus, tum bene noscat oues.



**D**iscipulis plebiq; loquens sic dixit Iesus:  
Sū bonus et fido uigilans in pectore Pastor,  
Commissumq;

DOMINICALIA.

Commissumq; gregem summo complector amore.  
Non dubitat uitæ discrimen adire fidelis  
Propter oues pastor, pulchræq; occumbere morti,  
Si modò possit eas proprio defendere leiho.  
Conductus precio sed mercenarius alter,  
Cuius oues non sunt propriae, cum cernit atrocem  
Aduentare lupum, non contrà obsistit eundo,  
Nec uel saxa capit manibus, uel robora clauæ,  
Sed fugitiuus oues miseræ in morte relinquit,  
Consuluisse sibi trepido non suetus ouili:  
Dispergitq; gregem lupus, exercetq; rapinam,  
Innocuas lacerans crudeli fauce bidentes:  
Arripit ille fugam, quoniam mercede paratus  
Est tantum, uero nec ouilia curat amore.  
Ast ego sum uerè pastor bonus atq; fidelis,  
Pro grege nec dubito charam profunderè uitam.  
Sicut oues cognosco meas, sic noscor ab illis:  
Utq; pater nouit natum, natusq; parentem,  
Sic quoq; me nouere greges, nouere parentem,  
Pro quibus occumbo moriens, animamq; relinquo.  
Hæc alia sunt preter oues, non huius ouilis:  
Quas etiam errantes ad recta reducere oportet,  
Ut uocem accipiantq; meam, teneantq; fideles:  
Vnus erit tum pastor, & unum fiet ouile.

EVANGELIA  
DOMINICA IVBILATE.  
EVANGELIVM IOANNIS XVI.  
ARGVMENTVM.  
Discessum super Astra suum predicat Iesus,  
Venturam socijs tristitiamq; canit.



**D**iscipulis quodam sic tempore dixit Iesus,  
Tempore me paruo iam non cernetis amici  
Atq; iterum paruo rursus, uelut antè, uidebor:  
Hinc quia discedens ad summum uado parentem.  
Dixerunt aliqui: Quæ sunt hæc uerba loquentis?  
Quòd modicum dicit uestrum me nemo uidebit.  
Atq; iterum modicum me lumina uestra uidebunt,  
Quandoquidem summum uadens accedo parentem.  
Talia dicentes tacitè cognouit Iesus,  
Quodq; sui uellent sermonis querere sensum:  
Propterea uerbis præuenit talibus ipsos:

Queritis

DOMINICALIA.

Queritis inter uos cupidi cognoscere, uerba  
Quid sibi nostra uelint: modico quòd tempore dixi  
Me non cernendum, rursus modicoq; uidendum.  
Obscuro uobis sunt ista recondita sensu,  
Credite quæ dico: nec enim mihi fallere fas est:  
Talia cum fient, mœsto plorabitis ore,  
Perq; fluent uestros lachrymarum flumina uultus.  
Interea letus celebrabit gaudia mundus,  
Dum uos tristitiam deiecto corde feretis:  
Dulcia sed uestros mutabunt gaudia luctus.  
Candidus & rursus ueniet post nubila Phœbus.  
Fœmina quando subit duri discrimina partus,  
Tristitia premitur, quòd uenerit hora pericli:  
Sed puerum postquam peperit, uinclisq; soluta est  
Ipsa puerperij mutato pectore gaudet:  
Nec meminit duri, quem senserat antè, doloris,  
Letitia perfusa noua, quòd natus in orbem  
Est homo, uitales tangens feliciter auras.  
Maxima maternam pertentant gaudia mentem:  
Sic uos tristitiæ qui nunc graue pondus habetis  
Nomine proq; meo casus toleratis iniquo,  
Gaudia post tantos capietis læta labores:  
Tunc ego uos iterum præfens (mea turba) uidebo,  
Læticiq; animos uestros complebo perenni.

EVANGELIA


Nullas erit qui uestra nocens tum gaudia tollat.  
Tunc erit illa dies non ampliùs ulla rogandi,  
Omnia nam per uos, quæ nunc ignota, scietis.

DOMINICA CANTATE.

EVANGELIUM IOANNIS XVI.

ARGUMENTUM.

Consolatorem hinc abiens promittit Iesus:  
Arguet & mundum de quibus ille monet.



**N**unc ego discedens ad summum uado patris,  
Qui prius est celo mundi me misit in orbem:  
Quoq; abeam uestrum me non interrogat ullus,  
Sed quoniam uobis hæc sum modo uerba locutus,  
Pectore mesticiam capitis, uanumq; timorem,  
Ignari fortisq; meæ, uestrumq; bonorum.  
Propterea uerè dico, testorq; fidelis,  
Expedit hoc uestræ, quod ego discedo, salutis:

Nan

## DOMINICALIA.

Nam si non iëro, poterit non ille uenire  
Solator, toties uobis promissus ab alto:  
Sin abeam uerò, ueniens super æthera mittam  
Illum continuò uobis bona summa ferentem.  
Ergo ubi de celo ueniet demissus in orbem,  
Arguet ingratum triplici de crimine mundum:  
Ut de peccato, quoniam non creditur in me:  
Et de iusticia, ad summum quia uado parentem,  
Posthàc in mundo nec me, uelut antè, uidetis  
Tum de Iudicio, mundi quia cum grege princens  
Ipse suo iam tum est nigrum damnatus ad Orcum  
Præterea uobis memorem quæ, multa supersunt:  
Omnia sed uideo iam non portare potestis.  
Spiritus at ueri cùm uenerit, ille docebit  
Omnia uos, ueriq; uias traducet in omnes:  
Non etenim de se quæ proferet, ille loquetur,  
Sed mandata sibi cæloq; audita retexet,  
Et uentura canet uobis casusq; futuros:  
Idem etiam toto me glorificabit in orbe,  
Accipietq; meo, uobis quæ nunciet, ore.  
Omnia quæ Genitoris habet suprema potestas,  
Hæc mea sunt etiam, sine me nil possidet ille:  
Propterea dixi, quòd Spiritus omnia de me  
Accipiet, uobis & nuncius illa sonabit.

F S DOMI-

## EVANGELIA

DOMINICA VOCEM IOCVNDITATIS.

EVANGELIVM IOANNIS XVI.

ARGVMENTVM.

Nomine cuncta tuo uis nos à patre rogare,  
Certaq; que petimus, Christe futura doces.



**D**iscipulis aliquando suis sic dixit Iesus:  
Polliceor sanctè uobis, iuroq; parentem,  
In quecunq; meo poscetis nomine summum,  
Illa dabit uobis, nec uos spes irrita fallat.  
Hactenus haud aliquid petijstis nomine nostro,  
Poscite nunc igitur, certoq; petita feretis,  
Vt perfecta animi reddantur gaudia uestri.  
Hactenus obscuro ueluti prouerbia sensu  
Diximus, & uestras latuerunt omnia mentes:  
Adueniet tempus, cum non prouerbia dicam,  
Sed manifesta loquar de summo nuncia patre,

DOMINICALIA.

Ma luce meo sub nomine cuncta petetis.  
Non ego nunc dico, me supplice uoce parentem  
Esse rogaturum pro uobis, nilq; necesse est.  
Namq; meus Genitor summo uos ante fauore  
Diligit, & patrio plus quam dignatur amore,  
Propterea quod me uenerati semper amastis,  
Pectore credentes firmo, passimq; docentes  
Me uenisse polo, summi natumq; parentis  
Exiuisse sinu, genus ut mortale reducam  
Aetheris ad sedes prauis de carcere mundi,  
Restituens uerae credentia corda saluti.

IN DIE ASCENSIONIS IESU CHRISTI,

EVANGELIUM MARCI XVI.

ARGUMENTVM.

Discipuli à Christo totum mittuntur in orbem:  
Ille sed ascendens sydera summa petit.



Et



EVANGELIA

**E**T iam finis erat, confectaꝫ meta laborum,  
Discipulis mensa cū forte sedentibus una  
Bis senis uno minū apparet Iesus,

Increpitans paruaꝫ fidem, cordisꝫ tenacem  
Duriciam, multis quōd credere non uolūissent,  
Qui dominum reduceꝫ uenisse à morte ferebant,

Talia postremo dixit sermone locutus:

Ite per immensum quacunꝫ habitabilis, orbem,

Atꝫ Euangelium gentes efferte per omnes,

Quas Deus ut mundum possent habitare creauit,

Quisquis crediderit sacraꝫ lauabitur unda,

Hunc æterna salus & cælica uita manebit.

Verū crediderit qui non, damnatus ad Orcum

Perferet æterni stimulos flammaꝫ doloris.

Talia credentes uerō iam signa sequentur:

Nominis eiꝫcient nostri uirtute malignos

Dæmonas, & linguis quas non didicere loquuntur.

Serpentes abigent uirus lethale gerentes:

Forſitan & si quod biberint mortale uenenum,

Nil Aconita pijs, nil Toxica dira nocebunt:

Imponentꝫ manus ægris meliusꝫ ualebunt.

Hæc ubi Christus erat suprema uoce locutus,

In cælum sublatus humo sublime recessit,

Ad dextram residens summi patris omnipotentis.

As

DOMINICALIA.

Ast illi ablato celo super alta Magistro,  
Expediunt mandata Dei, finesq; per omnes  
Terrarum properant, caelesti uerba docentes.  
Et Domini uirtus aderat foeliciter illis,  
Confirmans sacrum per signa sequentia uerbum,  
Vnde fides hominum cunctis accreuit in oris.

DOMINICA EXAVDI.

EVANGELIUM IOANNIS XV. & XVI.

ARGUMENTVM.

Venturum Christus Paracletum praedicat esse:  
Discipulos dura praemonet inde crucis.



**V**enerit e celo quando Paracletus in orbē,  
A patre quē uobis paruo post tēpore mittā  
Doctorem uerae fidei, procedit ab ipso  
Qui Patre, testificans de me tunc ille docebit.  
Quin & uos testes eritis, quia tempore longo  
Discipuli

## EVANGELIA

Discipuli mecum spectatoresq; fuistis,  
Ac memorare alijs mea dicta & facta potestis.  
Hæc ego sum uobis ceu præscia uerba locutus,  
Ne crucis offendant uos tristia scandala, namq;  
Eijcient ueluti Synagogis falsa docentes:  
Et ueniet tempus, qui uos occidit, ut ille  
Se reputet cultum summo præstare Tonanti.  
Hæc facient uobis cæca caligine pressi,  
Quòd neq; me uerè, nec cognouere parentem  
Hæc igitur dixi, tempus cùm uenerit illud,  
Ut meminisse animo, quòd sint prædicta, queat.  
Non à principio uolui prædicere uobis,  
Vna uobiscum quòd eram, semperq; manebam:  
Nunc abiens uerò non dissimulanda putauì,  
Sic nocuisse minùs mala præmeditata ualebunt.

IN DIE PENTECOSTES.

EVANGELIUM IOANNIS XIII.

ARGUMENTUM.

Laudatur multis Christi dilectio uerbis,

Pax noua per Dominum discipulisq; datur.

**P**rosequitur uero si quis me cordis amore,  
Sermonis mandata mei seruare studebit,

Dilectumq; meo se sentiet esse parenti.

Quin etiam faciles ambo ueniemus ad illum.

Semp

## DOMINICALIA.

Semper erit nobis gratissima mansio talis,  
Perpetuoq; uirum presentia nostra beabit.  
At qui non uero me pectore diligit, ille  
Mandati seruare mei non iussa studebit,  
Illa sed abiciens securo corde relinquet.  
Nec meus est sermo, quem nostro audistis ab ore,  
sed patris æterni, qui me transmisit Olympo,  
Ut uos erudiens cælestia iussa docerem.  
Hæc ego presenti uobis sermone loquebar.  
Viuerè uobiscum dum fâta Deusq; sinebant.  
Spiritus at quando ueniet paracletus ab alto,  
Quem pater in nati transmittet nomine uobis,  
Omnia doctrina uos sufficiente monebit,  
Et quæcunq; prius dixi, tum suggeret ille.  
Nunc ego do pacem uobis, pacemq; relinquo  
Ipsè meam, non qualis in hoc contingere mundo  
Nempe solet, sed uos meliori pace beabo,  
Tranquillum reddens animum, cordisq; quiete m.  
Non igitur tristi turbentur uestra dolore  
Pectora, nec gelida formidine tacta laborent:  
Nam prius audistis dicentem et sæpè monentem:  
Nunc ab eo uadens, ad uos iterumq; reuertor.  
Vos quoq; si uero me diligeretis amore,  
Gauderent animi uestri, quia talia dixi,

Ad

## EVANGELIA

Ad summum redeam uestro quod ab orbe parentis.  
Maior enim nato Pater est in carne manenti,  
Atq; ea nunc dixi, fierent impleta priusquam,  
Ut cum facta semel fuerint, credatis amici.  
Postmodò non multo uobis sermone profabor,  
Namq; uenit mundi princeps uesanus iniqui,  
Sitq; potens quamuis, in me nil iuris habebit.  
Ut tamen agnoscat mundus, quòd amore parentis  
Prosequar, illiusq; libens mandata capeffam,  
Surgite, quòq; uocat Genitor supremus eamus.

IDEM EVANGELIUM ALIO TEMPORI

*sic translatum carmine.*

**D**iligit ex animo qui me, mea uerba tenebit,  
Hunc pater eterno saluabit amore uicissim  
Tum paribus studijs ambo ueniamus ad illum,  
Atq; ibi semper erit gratissima mansio nobis.  
Ast qui non uerè me diligit, ille uicissim  
Non mea seruabit studio præcepta fideli.  
Quæ nunc auditis populi me uerba loquentem,  
Non mea sunt, summi potius sed dicta parentis,  
Ista docere suum natum qui misit in orbem.  
Hæc ego sum uobis præsentis uoce locutus,  
Dum mea uobiscum me fata manere uolebant:  
At nunc Solator ueniet demissus ab alto.

*Spiritu*

DOMINICALIA.

Spiritus, in nati Genitor quem nomine mittet,  
Qui uos erudiens porrò facienda docebit  
Omnia, quæ uobis à me prædicta, reuoluens.  
Pacem do uobis, pacem (mea dona) relinquo:  
Non ueluti Mundus pacem dare sœuit iniquus.  
Pectora non aliquo turbentu uestra dolore.  
Nec timeant mundi furias. audistis abunde  
Dicentem, quod mox iterum rediturus abibo,  
Verus amor nostri si pectora uestra teneret,  
Leticiam caperent animi, quòd talia dixi:  
Scilicet ad summum me rursus abire parentem,  
Nam Pater & nato maior, quem misit in orbem,  
Hic seruare potest per cuncta pericula tutos.  
Nunc igitur dixi priùs hæc, quàm singula fiant:  
Scilicet euenient quando, credatis ut ipsi  
Me non ficta priùs uobis sed uera, locutum:  
Posteriùs non multa loquar, uelut antea, uobis:  
Namq; uenit mundi Princeps, nil iuris habere  
In me qui poterit, nec ei tam magna potestas:  
Sed tamen ut mundus ualeat cognoscere, Patrem  
Quàm bene dilexi, mandata fideliter implens,  
Propterea hæc facio: nunc surgite, tempus eundi.

HISTORIA PENTECOSTES SEV MISSIONIS  
Spiritus Sancti, ex Actorum capi. II.

G ARGV-

**EVANGELIA**

ARGUMENTVM.

*Spiritus è celo Christi uenit ecce ministris:  
Ad populum Petri concio prima sonat.*



**I**am completa fuit lux quinquagesima fests  
quam pentecosten plebas iudæa uocabat  
Discipuli quando concordi mente sub unis  
Aedibus optantes Christi promissa sedebant.  
Ecce nouus celo fremitus cum turbine uenti  
Exoritur, totamq; domum repleuit ab imo,

## DOMINICALIA.

In qua Discipuli tanquam in statione manebant:  
Incaluere nouo sensim præcordia motu,  
Et mentes subijt manifesti Numinis aura:  
Nec Deus interno tantùm se corpore miscet,  
Omnibus apparent diuisæ guttura lingue,  
Flammarumq; apices diducta per ora relucet.  
Tum sacer inuadens ex ordine Spiritus omnes  
Occupat, & medio confedit corde receptus.  
Iamq; Dei sacro pleni spiramine cuncti  
Incepere nouam labris depromere uocem,  
Diuersis linguis caelestia uerba loquentes,  
Omnibus & populis patrio cuiq; ore sonantes,  
Qualiter eloquium subdebat Spiritus illis.  
Talia cùm fierent, Solyma tum fortè manebant  
Urbe uiri Sancti iudæo sanguine creti,  
Partibus in mundi uarijs qui sede relicta  
Iamdudum patria Dauidica mœnia ciues  
Et Domini legem summa pietate colebant.  
His ubi percussas uox caelica uenit ad aures,  
Famaq; iam fluxit totam uulgata per urbem,  
Conuenere simul studijs concordibus omnes,  
Huc ubi Discipuli linguis diuersa loquentes  
Irradiante super diuina luce sedebant.  
Omnibus attonitas fecit uox reddita mentes,

G 2 Namq;



EVANGELIA

Namq; suæ quivis patriæ sermone ministros  
 Audibat Domini mira uirtute loquentes.  
 Obstupuere uiri mirantes pectore toto,  
 Taliaq; inter se communi uoce ferebant:  
 Aspice non'ne uiri Galileis finibus omnes  
 Hi sunt, tam uario quos cernimus ore loquentes?  
 Vnde fit, ut nostrum patrij sermonis ab illis  
 Quilibet accipiat uocem? noscatq; loquelam  
 Quisq; suæ gentis, nostrum qua ducimus ortum.  
 Namq; alij nostrum Parthis Medisq; profecti  
 Perside uenerunt, alij quæ flumine terram  
 Circuit Euphrates medio cum Tigride cursu  
 Iudææ multi domibus uenere, iugisq;  
 Cappadocum, Pontoq;, Asiæq; patentibus aruis,  
 Nec non Pamphylis Phrygiæq; à finibus ore,  
 Insuper Aegypto Lybiæq; calentibus agris,  
 Feruida Cyrene quinas ubi possidet urbes.  
 Quid memorem Latiae Romanos gentis alumnos,  
 Iudæumq; genus, cui turba Profelita iuncta esse  
 Gentibus orta quidem, sacra tamen addita Legi  
 Quid referam Cretæ populos, Arabumq; profecti  
 Qui iuga liquerunt foelicia thuris odore?  
 Deniq; quotquot in hoc cœtu, quacunq; creati  
 Gente sumus, linguam patriæ cognoscimus omnes

Natalisq;

## DOMINICALIA.

Natalisq; sonus cunctas defertur ad aures:  
Tam diuersa uiri, quæ non didicere, loquuntur,  
Admiranda Dei magnalia uoce sonantes.  
Talia dicebant stupefacto pectore multi,  
Ignari quid tanta sibi miracula uellent.  
Ast alij risu caelestia facta prementes  
Ebria Discipulis hausto præcordia uino  
Dicebant, hinc uoce uiros bacchare sonanti.  
Hoc ubi cognouit, consurgens agmine Petrus  
Constitit undenis medio cum fratribus, atq;  
Extollens uocem populum sic dixit ad omnem:  
Vos quicumq; uiri iudææ stirpis adestis,  
Mœniâq; hæc ciues Solymarum sancta tenetis,  
Atq; alij uarijs huc missi è partibus orbis,  
Quos pietatis amor nostram perduxit ad urbem,  
Huc adhibete animos, et nostra capeßite dicta,  
Cognita quæ facimus, sed non sine numine uobis:  
Non etenim, sicut uestrum pars magna putauit,  
Ebria turba sumus, nec uinum sumpsimus ullum  
Gutturæ, testis erit præsens hæc hora diei  
Tertia, quæ solis uix iam numeratur ab ortu:  
Pocula mane adeò ne nos sumpsisse putetis:  
Causa sed ista subest, uatis quam uerba iohelis  
Enthea prædicunt, sacro qui numine plenus

G § Aedidit

## EVANGELIA

Aedidit arcanis oracula talia uerbis:  
Tempora cū uenient, inquit Deus arbiter cui,  
Ultima, tūm claro descendens lumine noster  
Spiritus è cælo carnem fundetur in omnem,  
Ut mea per terras fiat manifesta potestas:  
Inde prophetabunt iam uestre pignora gentis:  
Filius hic, illic oracula filia reddet,  
Et uentura canent Iuuenes, & mira uidebunt,  
Somniaq; obuient senibus præsaga futuri,  
Quin etiam seruosq; meos, seruaq; fideles  
Spiritus implebit manifesto numine noster:  
Illi fatidicis sermonibus ora resoluent,  
Talia dicentes, quæ nulli audita priorum.  
Tunc & prodigijs cælum sese undiq; magnis  
Exeret in terris mirandaq; signa patebunt:  
Sanguine cum flammis mixto, fumiq; uapore  
Sol etiam tenebras mœrens uertetur in atras,  
Lunaq; pallescit nigro suffusa cruore.  
Talia præcedent his pluraq; signa, priusquam  
Adueniat Domini lux illa nouissima, magnis  
Inclita miraculis, magno spectanda triumpho.  
At quicumq; Dei uotis tum sancta uocabit  
Nomina, uenturo foelix seruabitur euo:  
Scilicet æternos nunquam periturus in annos.

FERIA

DOMINICALIA.

FERIA II. PENTECOSTES.

EVANGELIUM IOANNIS CAP. III.

ARGUMENTVM.

Cum dederit natum Genitor pro crimine mundi,  
Diligat humanum qui magis illa genus?



Sic Deus eterno Mundum dilexit amore,  
Vt daret unigenum preciosa in pignora Natū,  
In quem credentes non tristi morte perirent,  
Regna sed aeternae caperent caelestia uite:  
Non etenim natum Genitor dimisit ab alto,  
Iudicio totum rigido damnaret ut orbem,  
Aeternam potius sed ferret ut ille salutem.  
Ergo animo quicumq; pio confidit in ipsum,  
Non hic iudicium damnatus triste subibit,  
Sed placidi absoluet sententia Iudicis illum.  
Ast qui non credit, iam tum damnatus habetur.

G 4 Credidit

## EVANGELIA

Credidit aeterni quia non in nomine nati:  
Quod scelus est summum, nullo debile seculo.  
Hoc est iudicium, quod lux noua uenit in orbem:  
Et tenebras homines pra munere lucis amarunt,  
Quippe mali atq; operū sibi conscia turba malorū:  
Qui mala cunq; facit, lucem fugit ille perosus,  
Et tenebris gaudet, sua ne delicta patefiant,  
Arguat & prauos hominum reprehensio mores:  
At qui uera facit, lumen petit ille dici,  
Ut sua facta queant manifesta in luce uideri  
Quae bona sunt, summiq; in nomine facta parentis.

IDEM EVANGELIUM ALIO TEMPORE SIC  
Elegiaco carmine translatum.

**S**ic Deus à prima dilexit origine Mundum,  
Ut daret huic natum pignora certa futurum  
Munere quo summum nobis testatus amorem,  
Non aliquid maius, quod dare posset, erat.  
Sic dedit hunc autem, quisquis confidit in illum,  
Ut non intereat, ceu mala turba perit:  
Sed ferat aeterna caelestia munera uite,  
Talia credenti uult dare dona Deus:  
Non etenim caelo descendit Filius alto,  
Iudicium ut mundo triste malumq; ferat.  
Non homines damnare cupit, sed reddere saluos.

DOMINICALIA.

Et seruare sua, ne pereamus, ope.

Huic igitur quisquis deuoto pectore credit,

Non hic damnatus tristia iura feret:

Iudicis absoluet sententia lenior illum,

Perq; fidem Christi crimine liber erit.

At qui non credit Domino confisus Iesu,

Iam tum iudicio subiacet ille graui:

Damnatum sua poena manet, quia credere nati

Noluit in summi nomina sancta Dei.

Crimen id est mundi, quod lux noua uenit in orbē,

Cui tenebras homines preposuere suas:

Scilicet illorum quoniam mala facta fuerunt,

Propterea lucem sustinere minus.

Quisquis agit prauum lucem deuitat, & illam

Non subit, ut lateant criminis acta sui.

At qui recta facit, lucem petit ille serenam,

Cernantur medio quo sua facta die.

Hec etenim bona sunt, & aperte digna uideri

Scilicet in summi nomine gesta Dei.

FERIA TERTIA PENTECOSTES.

EVANGELIUM IOANNIS X.

ARGUMENTUM.

Vnica cum ueri sit Ianua Christus ouilis,

Quis furor est aliam querere ad astra uiam?

G S Ad

EVANGELIA



**A**D Phariseorum turbam sic dixit Iesus:  
 Vera loquar uobis, uos credite uera loquenti  
 Per medias quicumq; fores non intrat ouilis,  
 Debita quã uerum commonstrat semita gressum,  
 Sed quærens alios aditus inscendit, & arte  
 Callidus irrepit tacita, fallitq; latebris,  
 Hunc meritò furem testamur & esse latronem:  
 Oui uerò ingreditur sincera per ostia, uerus  
 Est ouium pastor, uerus pecorisq; magister,  
 Ianitor huic aperit referatis ostia ualuis  
 Illius & uocem noscunt in ouilibus agni.  
 Iamq; suos uocat ille greges, & nomine dicit,  
 Accurrunt celeres auditi ad uerba magistri:  
 Tunc educit oues in pascua uallis amœnæ:  
 Cumq; illas foribus pandens emisit apertis,  
 Protinus ante mouet uestigia prima, suumq;

ipse

DOMINICALIA.

Ipsę gregem ducens fido præcedit amore.  
Affectantur oues crebris balatibus illum,  
Namq; sui ueram uocem nouere magistri.  
At non sic hominis peregrini uerba sequentur,  
Sed fugient illum potius, uisq; recedent.  
Ignoram siquidem nequeunt cognoscere uocem.  
Talia dicebat Scribis prouerbia Christus,  
Et Phariseorum turba, populoq; rebeli,  
Increpitans cæcas tecta sub imagine mentes.  
Verba sed hæc illis non intellecta manebant:  
Auribus accipiunt uocem, non pectore sensum.  
Sic igitur coepto rursum sermone profatur:  
Hoc iterum dico summum testorq; Parentem,  
Ianua sum, ueros aditum quæ præbet ouili,  
Quotquot & ingressi me non monstrante fuerunt,  
Hi fures ouium sunt, infestiq; latrones:  
Illorum uocem non audiuerunt bidentes.  
Ast ego commisi sum ianua semper ouilis  
Et ueram commonstro uiam uenientibus ultrò.  
Quicumq; ingreditur per me, seruabitur omni  
Tempore, nec uero decedet tramite lapsus,  
Ingrediens nullo simul egrediensq; periculo,  
Aeternæ inueniet florentia pascua uitæ.  
A pastore bono facile est discernere furem:



EVANGELIA.

Fur uenit ut damnum faciens furetur ouili,  
Utq; gregem mactet miserum, perdatq; necando.  
Ast ego non mortem uenio, sed reddere uitam  
Commisis ouibus, placida quas pace gubernans  
Efficiam cunctis ut opimæ rebus abundant.  
Non has error aget, nec inops urgebit egestas:  
Cunctorum sed erit circumflua copia rerum,  
Aeternisq; bonis sub me pastore fructur.

DOMINICA SANCTAE TRINITATIS  
EVANGELIUM IOANNIS III. CAP.

ARGUMENTUM.

Ad Christum ueniens Phariseus nocte docetur,  
Que uia sit, rursus qua generetur homo.



**V**ir præclarus erat Phariseæ ex ordine genit  
Et princeps populi, legis quoq; gnarus auita  
Nomina cui uincens populus prælustria fecit,  
Nicolæum

## DOMINICALIA.

Nicoleum posses uel dicere Nicaodemum.  
Hic semel ad Christum ueniens sub nocte silenti  
Namq; Sa cerdotum furias iramq; timebat:  
Talibus incepit: Scimus uenerande Magister,  
A Genitore Deo nostrum quod ueneris orbem,  
Nemo etenim prestare potest ea signa, potenti  
Que facis imperio cunctis mirandus in oris,  
Ni Deus auxilijs presentibus adiuuet illum.  
Christus ad hæc contrà respondens, talia fatur:  
Crede mihi, fuerit nisi quis Pharisee renatus,  
Non unquam poterit caelestia Regna uidere.  
Ille refert contrà attonitus: Venerande Magister,  
Nunquid homo poterit grandæua etate renasci,  
Atq; redire suæ repetitam matris in aluum,  
Exit unde prius, rursus procedat ut inde?  
Respondes Christus: Verum tibi dicimus Amen,  
Quis nisi natus aqua fuerit cum Flamine sacro,  
Non unquam poterit Regnum caeleste subire.  
Non hæc carnali fiet generatio pacto:  
Nam quodcunq; caro genuit, caro permanet idem:  
Spiritus at si quid genuit, dominatur in illo.  
Non igitur mirum debet Pharisee uideri,  
Quod modò uos dixi cunctos debere renasci,  
Æternæ siquidem cupitis commercia uitæ.

Ventus

## EVANGELIA

Ventus ubi placuit spirat, uocem illius audis,  
Vnde tamen ueniat, nescis, quo'ue ille recedat:  
Sic erit omnis homo flatu meliore renatus,  
Miratur uocem Domini Iudeus, & inquit:  
Qua ratione queunt fieri hæc, ediffere nobis,  
Christus ait rursus: Iudea in gente Magister  
Tu'ne potens censeris, & hæc mysteria nescis?  
Crede mihi certè scimus, quæcunq; profamur,  
Testamurq; simul uobis, quæ uidimus antè,  
Nec tamen accipitis nostræ testata loquelæ,  
Si terrena fidem non uultis habere docenti,  
Quàm malè credetis, si iam cælestia dicam:  
Nemo petit cælum, nisi qui descendit ab illo,  
Nempe Dei natus, cuius cælestia Regna  
Propria sunt, quibus ille uiamq; effecit apertam,  
Et ueluti Moses populum dum ducit Brema,  
Serpentem faciens ligno suspendit in alto,  
Cuius adorantes faciem non lederet anguis:  
Filius ipse Dei sic exaltetur oportet,  
Ut non intereat quisquam confusus in illum,  
Regna sed æterna capiat cælestia uite.

DOMINICA I. POST TRINITAT.  
EVANGELIUM LUCÆ XVI. CAP.  
ARGV.

## DOMINICALIA.

ARGUMENTVM.

Diues in Inferno pœnis cruciatur acerbis:  
Lazarus Angelicus portat in astra chorus.



**V**ir prædiues erat, rebusq; opulentus opimis,  
Splendida quæ molli uestibat purpura luxu:  
Magnificisq; dies epulis uiuebat in omnes.  
Delicijs mundi foelix & semper abundans.  
Rursum pauper erat cognomine Lazarus, ille  
Diuitis ante fores miseranda sorte iacebat,  
Vlceribus toto scabieq; in corpore plenus,  
Turpia quæ sæuo pascebant membra dolore.  
Insuper atra fames stomachum uexabat inanem.  
Perq; dies aliquot nullum gustauerat egra  
Ore cibum, sicco nec gutture ceperat haustum.  
Vestibulo sese ergo domus aduoluerat egrè,  
Vilibus ut saltem de micis uiueret, alta

Que

EVANGELIA

Quae Domini mensa nullo curante cadebant.  
 Nulla sed ingrata tetigit miseratio mentem  
 Diuitis, egrediens uultum auertebat ab illo,  
 Sordida ne scabies nares uiolares odore:  
 Nec quisquã ex famulis hominem curabat egenũ.  
 Sola canum misero lenibat turba dolorem,  
 Vlcerâ perlingens fidus manantia linguis:  
 Maior in his bonitas, Domino quã eluxit in ipso  
 Et uicere canes hominem uirtute iuandi.  
 Lazarus at tandem, seuo crescente dolore,  
 Viribus exhaustus moritur uitamq; relinquit,  
 Cuius letam animam mortali carne solutam  
 Angelici portant ad lucida sydera cœtus,  
 In gremioq; Abrahæ foelici sorte reponunt.  
 Nec mora longa fuit, moritur quoq; diues, & illas  
 Quas possedit opes, inuito corde relinquit,  
 Elatusq; domo sepelitur more parentum.  
 Non hunc diuitiæ poterant defendere ab Orco,  
 Quem meritis factis & iniquo corde fuisset.  
 Ergo anima illius Manes fertur ad imos,  
 Tartareasq; domos subijt, passura perennis  
 Supplicij pœnas diri sine fine doloris.  
 Iamq; in tormentis positus, cum cernere sursum  
 Inciperet, frustra q; oculos super alta leuarat,  
 Aethe-

DOMINICALIA.

Aetherea Abramum conspexit in arce sedentē,  
Illius inq; sinu recubantem Lazaron amplo,  
Iam non ulteribus foedum, sed lumine plenum:  
Protinus attollans uocem clamauit in altum:  
O pater Abraham, si quid pietatis Olympo,  
Vestraq; si pœnæ miserorum pectora tangunt,  
Respice me miserum, clemens miserere precantis,  
Et mihi mitte pium de uestris Lazaron oris,  
Ut digitos saltem extremos in flumine tingens,  
Ardenti miseram restinguat gutture linguam,  
Atq; refrigerium paruo mihi tempore præstet:  
Nam patior magnos flamma crepitante dolores,  
Nec requies, nec finis adest, nisi mitis ab alto  
Tu pater aspicias nostros miserate labores.  
Fimibus æthereis contra respondit Abraham:  
Quid me nate uocas nil profecture? memento  
Quòd bona percipiens olim dum uita manebat,  
Et fueris foelix: at contra Lazarus iste  
Tot mala perpeffus te nil tribuente recepit:  
Nunc mutata sua est illi fortuna, tibiq;  
Hic iucunda capit caelestis gaudia uite,  
Tu contra, ut meritum, cæco cruciaris Auerno,  
At quamuis libeat mihi te fortasse iuuare,  
Non tamen est licitum: namq; interualla locorum

H Talia

## EVANGELIA

Talia nos dirimunt, & non superanda uorago,  
Ut non huc uos, nec nobis transitus illuc,  
Nec cuiquam liceat citraq; ultraq; uenire.  
Ille mouens iterum uocem respondit ab imo:  
Si Pater à uobis nullum sperare leuamen  
Est mihi concessum, saltem miserere meorum,  
Ut moniti discant ex me sua damna cauere.  
Sunt mihi quinque, super patrio sub limine fratres  
Florentes animo iuuenes, & corpore firmi,  
His precor ut mittas aliquem, iubeasq; monere  
In loca Tartaræ ueniant ne tristia poena,  
In quibus infelix iaceo, misereq; fatigor:  
Me satis est perijisse Pater, seruentur at illi.  
Respondit senior: Frustra quoq; talia poscis,  
Cum Moysen fratres habeant ipsosq; Prophetas,  
Hos audire sat est, moniti his meliora sequantur.  
Ille iterum excipiens: Nō sic pater, inquit, Abraham  
Mortuus hinc aliquis ueniat si missus ad illos,  
Admoneatq; uiros damnati fratris in Orco,  
Tunc magis affecti mutabunt crimina uite,  
Et mala uitantes facta ad meliora redibunt.  
Rursus ait senior: Si Mosen, siq; Prophetas  
Non audire uolunt, sed iniquo pectore temunt,  
Non etiam credent aliquis si manibus imis

Emissa

**DOMINICALIA,**

Emissus ueniat præsens, faciendâq; tradat,  
Qui spernit uiuos, nil aestimat ille sepultos.  
Obticit diues, pudibundâq; condidit ora,  
Quem poenâ excipiunt geminatis ignibus acres,  
Ut nec plura loqui liceat, nec cernere sursum.

DOMINICA II. POST TRINITAT.  
EVANGELIUM LUCÆ XIII.

ARGUMENTVM.

Fecit homo coenam, iussitq; uenire, recusant:  
Hinc complent mensæ turba coacta uis.



**F**ecit homo quidam magnæ conuiuia cœnæ,  
Perq; suum seruum multos hinc inde uocauit,  
Dicere præcipiens illis: tam turba uenite  
Inuitata mihi, cœnæ quia tempus & hora  
Imminet, & uobis sunt omnia ritè parata.  
Illi causantes priuata negocia, uerbis

H 2 Expur



EVANGELIA

Expurgant sese, iustiꝫ; uenire recusant.  
 Primus ait: fundum generandis frugibus emi,  
 Iamꝫ; illum uisurus eo, uisumꝫ; capeſſam:  
 Te rogo me purges Domino emanſiſſe coactum.  
 Alter ait: iuga quinꝫ; bouum iungenda quadrigis  
 Sum modò mercatus, quæ cogor abire probatum:  
 Excusare igitur remanentem serue memento.  
 Tertius: uxorem duxi, nequeoꝫ; uenire,  
 Nam curanda mihi nunc sunt sponsalia, dixit.  
 Rettulit hæc seruus Domino responsa reuertens,  
 Tum pater iratus rursus mandauit eidem:  
 Vade foras iterum per cunctas serue plateas  
 Urbis, & omnigenum per compita lata uiarum,  
 Et mihi mendicos, claudos, cecosꝫ; repente,  
 Seu quocunꝫ; malo uel debilitate laborent,  
 Adduxiſſe uelis. Subitò mandata peregit  
 Seruus, & hæc Domino iam nunciat esse peractis,  
 Et restare locum mensis. Tum protinus ille:  
 Vade iterum, percurrere uias, sepesꝫ; pererræ,  
 Quotquot & obuenerint, compelle intrare coactos:  
 Ut mea plena domus fiat, mensæꝫ; referta.  
 Hoc etenim uerè dico, quòd nemo uirorum,  
 Quos prius ad cœnam, siquidem reuèrere, uacanti  
 Dignus erit gustare mee conuiuia mensa.

DOMI-

DOMINICALIA.

DOMINICA III. POST TRINITAT.  
EVANGELIUM LVCAE XV. CAP.

ARGVMENTVM.

*Ex oue quæ perijt, nummo probat atq; reperto,  
Se peccatorum Christus adesse gregi.*



**T**urba propinquabat Christo p̄ magna Telonũ,  
Et peccatorum genus omne uenibat ad illum,  
Ipsius ut uocem possent audire docentis.  
Hoc ubi scribarum cognouit turba, repente  
Damnarunt animo caelestia facta maligno.  
Murmure sic tacito secum sub corde loquentes:  
Hic peccatores recipit, quos pellere longè  
Debit, & mensa comedens accumbit eadem.  
Talia cognouit meditantes pectore falso,  
Qui mentes hominum cernit, scrutator Iesus,  
Oraq; sustollens contrà sic fatur ad illos:

H 3 Quis

E V A N G E L I A

Quis uestrum, si forsan oues possessor haberet  
 In stabiliis centum, de totq; amitteret unam,  
 Non ne abeat, reliquas loca per deserta relinquet  
 Atq; unam, quæ sola fuit deperdita, quærat?  
 Illam repperiens humeris imponit, agensq;  
 Ipse domum portat, tacito sub pectore gaudens  
 Cumq; domum redijt, uicinos conuocat omnes,  
 Et quoscunq; sibi ueros cognouit amicos,  
 Atq; ait: ô chari mecum gaudete propinqui,  
 Inueni quia lætus ouem, quæ perdita dudum:  
 Sic maiora etiam testor fore gaudia Cælo  
 Peccatore super, si se conuerterit, uno,  
 Atq; decem mouies super agmina iusta uiuorum,  
 Nil opus integræ quibus est conuersio uite.  
 Dicite, quæ mulier drachmas bis quinque tenendo  
 Vnam de numero forsan si perderet illo,  
 Non subito accendat lychno flammante lucernam,  
 Conuerrensq; domum, partes perquirat in omnes  
 Inueniat nummum donec, quem perdidit ante:  
 Hunc ubi deprensus rima latitante recepit,  
 Conuocat agnatas, & quas uicinia iungit,  
 Atq; ait: O socia mecum gaudete fideles,  
 Namq; meã inueni, fuerat quæ perdita, drachmam.  
 Sic etiam Angelicum cælo letabitur agmen,

Crimine

**DOMINICALIA.**

*Crimine peccator si se conuertet ab omni,  
Instituetq; suam meliora ad munera uitam.*

DOMINICA III. POST TRINITAT.

**EVANGELIUM LVCAE CAP. VI.**

ARGVMENTVM.

*Clementes nos esse iubet, cæcosq; recenset,  
Et de festuca cum trabe Christus ait.*



**D**iscipulos plebemq; docens hæc dixit Iesus:  
Vos estote igitur miseranti corde benigni,  
Vt pater in caelo est miserans, animoq; benignus.  
Iudicium de alijs temere proferre caute,  
Ne Deus irato uos iudicet ore uicissim.  
Nec damnate alios, ne uos condemnet & ille,  
Quin potiùs noxam dimittite leniter omnem,  
Vt dimittantur uestre quoq; debita culpe.  
Tum date pauperibus, dabitur uobisq; uicissim.

H 4 Credite

## EVANGELIA

Credite mensuram plenam, gravidamq; bonamq;  
Atq; redundantem gremio turgente feretis:  
Nam qua mensura mensi fueritis, eadem  
Seu bona, seu mala sint, reddentur singula uobis.  
His dictis casum similem subiecit Iesus:  
Nunquid homo cæcus cæcum duxisse ualebit?  
Nõne petent ambo foueam, pariterq; peribunt?  
Non est discipulus melior, supraq; magistrum,  
Sed perfectus erit, fietq; simillimus ipsi.  
Exemplum quando præuisaq; facta sequetur.  
At quid festucam fraterno in lumine cernis?  
Nec tamen ipse trabem propria cognoscis ocellis?  
Aut quã nam ratione potes sic dicere fratri:  
Siste, tuo donec festucam lumine tollam:  
Nec sentis oculo quã trabem tibi magna recumbat,  
Eijce stulte trabem proprio de lumine primum,  
Et cognosce tuum deformis hypocrita morbum:  
Inde oculo fratris festucam tolle nocentem.

DOMINICA V. POST TRINITAT.

EVANGELIUM LVCAE V. CAP.

ARGUMENTVM.

Retia capture Petrus laxare iubetur,  
Piscatorem hominum Christus at inde facit.

Ad

DOMINICALIA.



**A**D Christū populi q̄ plurima turba ruebat,  
 Auditura sacri caelestia dogmata uerbi,  
 Illius eloquio que diuite ab ore fluebant.  
 Gennesareth uerò stagnum prope stabat Iesus.  
 Ecce duas uidit positas in littore naues,  
 Ex quibus egressi fuerant, ut foeda lauarent  
 Retia, qui captos norunt educere pisces.  
 Protinus accedens Dominus conscendit in unam,  
 Illa Symonis erat, blanda quem uoce rogauit,  
 Duceret ut paulum completo à littore cymbam,  
 Quò melius spaciū plebem docturus haberet.  
 Paruit imperio Domini piscator, in altum  
 Nonnihil et nauem solida tellure reduxit.  
 Ille sedens alta populū de puppe docebat,  
 Expediens multis caelestia dogmata uerbis:  
 Tota cohors hominum pendeat ab ore loquentis.

H S Inten-

## EVANGELIA

Intentiq; tenent oculos, auresq;, animumq;  
Et iam finis erat, Petro cum dixit Iesus:  
Duc age cum socijs naues prouectus in altum,  
Vestraq; laxatis expandite retia nodis,  
Vt liquido captos ducatis ab æquore pisces.  
Rettulit ista Symon: metuo uenerande Magister,  
Nec iubeas uanum nos exercere laborem,  
Nam modò per totam uigilantes æquore noctem  
Cepimus haud quicquam, frustra cessare coacti:  
Sed tamen ipse iubet quoniam, parebimus ecce,  
Inq; tuo uerbo laxabimus humida lina,  
Tu face ne nostro desit fortuna labori.  
Sic ait, & Christi celeres mandata capeffunt.  
Protinus innumeri subierunt retia pisces,  
Et media immensum pondus sentitur in unda,  
Nec retinere uiri rumpentia lina ualebant.  
Innuitur socijs, alia qui naue sedebant,  
Vt ueniant, ipsosq; iuuent in parte laboris.  
Approperant illi: tum retia plena trahentes  
Implerunt naues, eductis piscibus, ambas,  
Et prope submersæ præde grauitate fuerunt,  
Magnaq; pars cecidit uirides rellapsa sub undas.  
Hec ubi tanta Symon uidit miracula Petrus,  
Procidit antè pedes Domini uocemq; resoluit

Talibus

## DOMINICALIA.

**Talibus:** Omnipotens à me discede Magister,  
Nam peccator ego, nec tali munere dignus  
Sum miser, ut liceat diuinos cernere uultus:  
Nam pauor insueto terrore inuaserat illum,  
Atq; omnes socios, qui talia facta uidebant.  
Captura super immensa, quam uoce potenti  
Contulerat Christus: simili formidine fratres  
Terrentur, Iacobus, proles Zebedæa, Iohannes,  
Qui fuerant socij capiendo in pisce Symonis.  
Protinus ad Petrum sic dicere cœpit Iesus:  
Ne timeas, uanumq; Symon depone pauorem,  
Namq; hominum piscator eris, piscesq; relinquens.  
Postmodò mortales sacro uenaberis hamo,  
Et referes magnam Regna in caelestia prædam.  
Hec ubi factus erat subductis nauibus, illi  
In terram redeunt, atq; omnia chara relinquunt,  
Repletiq; noua Christum uirtute sequuntur.

DOMINICA VI. POST TRINITAT.

EVANGELIUM MATTH. V. CAP.

ARGUMENTVM.

Iusticiam reijcit Scribarum Christus, & inde  
Præcepti quinti sensa tenenda docet.

**D**iscipulos Christus residens in monte docebat  
Talibus erudiens ipsorum pectora dictis:

Hoc



EVANGELIA



Hoc equidem uero uobis sermone profabor,  
 Maiorem nisi iusticiam præstabitis ipsi,  
 Quàm Pharisaorum coetus, Scribeq; nefandi,  
 Celica non unquam, mihi credite, regna petetis.  
 Illi etenim externa specie nituntur, & intus  
 Iusticiam cordis nullam præstare laborant,  
 Decipiuntq; rudes titulo pietatis inani.  
 Audistis dictum nostris maioribus olim:  
 Non peragas eadem, nec quẽquam corpore ledas,  
 Quisquis & alterius maculãrit sanguine dextrã,  
 Iudicij reus est, & iusta morte necandus.  
 Ast ego sic dico uobis: quicumq; per iram  
 Offensus fratri fuerit, reus ille manebit  
 Iudicij: Racha tum si quoq; dixerit illi  
 Indignante animo, uerbisq; expresserit iram,  
 Concilij reus est: fatuum si dixerit autem

Insuper

DOMINICALIA.

Insuper, eterna tum fons erit ille gehennæ.  
Propterea munus cum fers deuotus ad aram,  
Atq; recordatus fueris, quod frater iniquo  
Sit te contra animo, properè tua dona relinquit,  
At domum rediens fratrem conare precando  
Conciliare tibi: non hinc desiste, priusquam  
Mutua uos animi rursus concordia iungat:  
Inde redi, munusq; tuum pius offer ad aram,  
Sic quæ dona feres, superis accepta placebunt.  
Hoc ego te imprimis iterumq; iterumq; monebo,  
Conciliare tuo, dum uos uia detinet, hosti:  
Nec differre tibi libeat, ne forsitan iniquus  
Iudicis imperio te tradat, & ille ministro  
Carceris, infœlix à quo mittaris in antrum:  
Namq; tibi uerè dico, si ueneris illuc,  
Non exire prius, gressumq; referre licebit,  
Extremum posito quàm solueris ære quadrantem.  
Hæc mala ne ueniant tibi, præcauisse memento.

DOMINICA VII. POST TRINITAT.

EVANGELIUM MARCI VIII.

ARGUMENTVM.

Quatuor implentur septeno millia pane,  
Et uix relliquias septima sporta capit.

Plurima

EVANGELIA



**P**Lurima cū Christū sequeretur turba docenti,  
 Iamq; iter emensi loca per longinqua fuissent,  
 Nec manducari quicquam quod posset, haberent,  
 Talibus extemplò socios affatur Iesus  
 Incipiens: Tanta miseret me gentis amici  
 Exhaustæ penitùs, nec quo satiatur habentis:  
 Iam tres quippe dies uestigia nostra secuti,  
 Non ullas sumpsere dapes, laticum'ue liquorem:  
 Quòd si ita ieiunos hinc in sua tecta remittam,  
 Viribus exhausti totis per strata uiarum  
 Deficient, uitamq; fame cogente relinquent,  
 Nec poterunt salui patrios contingere fines,  
 Maxima longinquis etenim pars uenit ab oris.  
 Discipuli Christo tum responderè: quis istam  
 Panibus in media turbam satiaret Eremon?  
 Sunt ubi nec segetes, nec flumina fontis aquarum.

Sed

## DOMINICALIA.

Sed steriles tantum sylva, praeuptaque saxa.  
Ille rogans iterum tali sermone profatur:  
Dicite quot panes nostrum teneatis ad usum?  
Respondent septem: uiridi discumbere terra  
Praecipit extemplo turbae per gramen Iesus,  
Accipiensque manu panes, suspexit in altum,  
Voce pia grates summo dixitque parenti.  
Partibus hinc frangens Cerealia dona minutis  
Discipulis porro plebi tradenda ministrat,  
Illi distribuunt per totam fragmina turbam.  
Insuper et pisces aderant e flumine pauci,  
Quos etiam Dominus benedicens porrigit illis,  
Accepere dapas auidi, largeque refecti  
Aspirante Dei tacita uirtute fuerunt,  
Non aliter, quam si pleno data copia cornu.  
Nulla fames tanto in numero, sitis atque remansit,  
Corpora sed largis dapibus recreata fuerunt,  
Munifici tanquam cepissent fercula regis,  
Iamque ubi pulsa fames epulis, mensaque remota,  
Fragminibus plenos septem legere canistros,  
Plusque fuit reliquum, quam fercula prima tulissent.  
At hominum coetus, dapibus qui membra refecti,  
Mille quater fuerant, numero nec defuit unus.  
Hinc patuere satis tanti miracula facti.

Talibus

EVANGELIA

Talibus exactis, saturos dimisit Iesus.

DOMINICA VIII POST TRINITAT.  
EVANGELIUM MATTH. VII. CAP.

ARGUMENTUM.

Noscere Christe inbes, falsasq; cauere Prophetas,  
Qui lanis ouium corda lupina tegunt.



**D**iscipulos Christus cū celsō in mōte doceret,  
Aurea præscribens uitæ præcepta gerēda,  
Rettulit hæc etiam breuibus post cætera uerbis,  
A falsis moneo (mea turba) caute Prophetis,  
Ad uos qui ueniunt ouium sub uestibus albis,  
Interiore lupos sed habent in corde rapaces:  
Fructibus è uitæ tales nouisse licebit.  
Nunquid enim sp̄nis capiunt horrentibus uinum?  
E tribus ficus' ue legunt ad uulnera natis?  
Sic fructus proferre bonos bona cernitur arbor.

Al

DOMINICALIA.

At mala fert fructum nihil utilitatis habentem.  
Nemo bonos carpit uicioso è stirpitate fructus,  
Nec bona se prauis ostendit fructibus arbor.  
Ast mala quæ fuerit, fructum neq; gignit honestum,  
Deijcitur ferro, flammisq; immittitur arbor:  
Sic homines etiam noscetis fructibus illos,  
Iudiciumq; dabunt facta & doctrina malorum.  
Non omnis Dominum qui me uocat atq; salutat,  
Continuò intrabit nostri consortia Regni:  
Summa sed æterni faciet qui iussa Parentis  
Pectore sincero, totumq; regetur ab illis.  
Extrema multi Dominum me luce uocabunt,  
Talia dicentes: an non præscire futura  
Nomine Chryste tuo dedimus, ceu numine pleni?  
Expulimusq; tua uictos uirtute Satanas,  
Multa tuo passim peragentes nomine signas  
Tunc ego respondens illis hæc uerba profabor:  
Non uos agnosco, neq; nostra ex parte fuistis  
Qualiacunq; etiam uobis sint signa peracta.  
Cedite degeneres, nostrumq; relinquitæ coetum,  
Nec uos indignos numero miscete piorum,  
Qui bona non unquam facitis, sed semper iniqua.  
Hinc uos atra manent stygijs incendia flammis.

I DOMI.

**EVANGELIA**  
**DOMINICA IX. POST TRINITATEM**  
**EVANGELIUM LUCAE XVI. CAP.**

ARGUMENTVM.

*Christus ab exemplo dispensatoris iniqui,  
Admonet utendum cautiùs esse bonis.*



**O**economum diues quidã mercator habet dicit,  
Cui dederat rerũ bona dispensanda suarum  
Omniaq; illius fidei credebat agenda.  
Hic ubi per quosdam fuerat delatus ad illum,  
Quòd domini uanos bona dilapidasset in usus,  
Cõmoda nulla parãs, sed damna nocentia profans,  
Ad se continuo uocat illum, & talia dicit:  
Esse quid hoc dicam, de te peruenit ad aures  
Quod male serue meas: rationem redde peracti  
Officij, poteris non ampliùs esse mearum  
Oeconomus rerum, quas tam profundis iniquis.

*Proximũ*

## DOMINICALIA.

Protinus aiebat se Dispensator ad ipsum:  
Quid faciam infelix priuatus munere tali?  
Vertere tellurem rastris, manuumq; laborem  
Exercere miser nequeo, uiresq; recusant,  
Mendicare etiam mihi dedecus esse uidetur.  
Iam scio quid faciam, de conditione remotus,  
Ut me suscipiant alij in sua tecta libenter.  
Sic ait, & quotquot Domino debere tenebat,  
Conuocat, hic primum compellans talibus infit:  
Dic mihi quid debes Domino? mox rettulit ille:  
Centum olei bathos. tum dispensator eidem:  
Sume tuas tabulas, & quinquaginta notabis,  
Inde uocans alium: quæ sunt tua debita? dicit.  
Ille coros centum farris respondet: at illi  
Dispensator ait: scribe octoginta regesto.  
Hæc ubi cognouit Dominus, laudauit iniquum  
Dispensatorem, sibi tam bene prospicientem.  
Non placuit furtum, placuit prudentia tantum.  
Quippe magis mundi sapiunt quàm pignora lucis  
In ratione sua. Vobis ego dico proinde,  
Mammone de iniusto uobis adiungite amicos,  
E malè quæ sitis sociosq; parate fideles,  
Ut cum deficient res uestre, protinus illi  
In sua suscipiant uos tabernacula grati,

A 2

Munc-



## EVANGELIA

Muneraq; alternis meritis accepta rependant.

DOMINICA X. POST TRINITAT.

EVANGELIUM LUCAE XIX. CAP.

ARGUMENTVM.

Excidium impendens Solymis deplorat Iesus:

Emptoresq; sacra pellit ab eade uiros.



**C**VM Solymā Christ<sup>9</sup> propiūs iā uenerat urbē,  
Aspiciens oculis lachrymas effudit obortas  
Talia subiiciens: ô si malè sana uideres,  
Illaq; nouisses, tibi quæ uentura trahuntur,  
Debita curares seruandæ munera pacis,  
Bellaq; sollicito studio funesta caueres:  
Sed nunc ista latent oculis abscondita cecis.  
Ecce dies uenient in te, cùm moenia cingent  
Obsidione feri, uallisq; prementibus, hostes,  
Et te concludent inimicis undiq; signis.

Inde

## DOMINICALIA.

Inde solo muros æquabunt præcipitados,  
Prosternentq; tuos effuso sanguine natos.  
Non lapidem supra lapidem gens sæua relinquet,  
Omnia sed fundo uiolans euertet ab imo.  
Ista tibi euenient uenturis cuncta diebus,  
Accipere oblatam rigida quòd fronte salutem  
Nolueris, tempusq; tui cognoscere fati.  
Hæc ubi singultu pleno lachrymisq; profusis  
Verba locutus erat, templum conscendit Iesus:  
Hic ubi uendentes pariterq; offendit ementes,  
Exercent qualem monopolia sordida quæstum,  
Indoluit rebus foedari sacra prophanis.  
Protinus eijciens illos pulsante flagello,  
Increpat his uerbis: Domus est domus ista precandi,  
At uos fecistis speluncam hanc esse latronum.  
Illi diffugiunt multo uibice coacti,  
Abripiuntq; suas merces, foribusq; propinquant.  
Talibus exactis, cælestia iussa docebat  
Quotidie in templo: quare uesana furensq;  
Turba Sacerdotum, Scribae, populiq; potentes  
Perdere quærebant occultis fraudibus illum.  
Nec tamen optatam causam reperire ualebant:  
Totus enim populus pendeat ab ore docentis,  
Illius auscultans uoci noctesq; diesq;.

## EVANGELIA

DOMINICA XI. POST TRINITAT.  
EVANGELIUM LVCAE XVIII. CAP.

ARGVMENTVM,

*In templum ascendunt Phariseus, itemq; Telonus.  
Et tamen hic illo iustior inde redit.*



**C**Hristus ubi multos propria considerare sensit  
Iusticiae, magnoq; alios contemnere fastus.  
Talibus incepit quandam narrare parablam:  
Ascendere duo templum sublime petentes,  
Ut precibus Domino consueto more litarent:  
Alter erat Phariseus in his, alterq; Telonus.  
Protinus accessit summam Phariseus ad aram  
Se ratus esse loco dignum, uocemq; resoluens,  
Talibus orabat uersis ad sydera palmis:  
Summe Deus grates perago tibi corde fideli,  
Quod non sum reliqua sicut fex impia plebis.

Raportti

## DOMINICALIA.

Raptores, iustiꝫ; parum, mœchiꝫ; nefandi,  
Omnibus imbuti uicijs, scelerumꝫ; magistri,  
Qualis & hic tantum querens sua lucra Telonus.  
Sabbata namꝫ; colo duo per ieiunia semper,  
Et rerum decimas cunctarum reddo mearum:  
Nec mensura stipis certa est, quæ fertur egenis.  
Quid memorem sanctasꝫ; preces, promissasꝫ; uota  
Fundere quas soleo, uel quæ persolvere sueui.  
His pater alme tuum spero meruisse fauorem,  
Ut me præ reliquis salues, tuearis, amesꝫ;.  
Talia dicebat secum Phariseus adorans.  
At procul hinc stabat demisso corde Telonus.  
Nec miser audebat sustollere lumina celo,  
Sed faciem deiectus humi trepidabat, & usꝫ;  
Conscia peccati tundeat pectora palmis:  
Sese ipsum accusans ultrò, sua crimina fassus  
Hinc etiam talem deprompsit gutture uocem:  
Propitius misero mihi sis pater optime rerum,  
Et serui miserere tui, quem crimina fontem  
Multa premunt, bonitatis opem concede rogantis:  
Nec pro iure tuo statuas me perdere, uerum  
Pro pietate tua uultus ostende paternos:  
Tolle meas sordes, calpamꝫ; ignosce fatenti,  
In fusosꝫ; tuo meliorem numine reddas.

EVANGELIA

Talibus hi superos diuersa mente rogabant.  
At mea, si queras, quæ sit sententia: dico,  
Iustior abscessit templo in sua tecta Telonus,  
Quàm Phariseus agens propriæ præconia uitæ.  
Quisquis enim stulto se pectore tollit in altum,  
Deijcietur humi: sed qui se deprimat ipsum.  
Rebus ab exiguis summo extolletur honore:  
Namq; Deus præfert humiles, oditq; superbos.

DOMINICA XII. POST TRINITATE  
EVANGELIUM MARCI VII. CAP.

ARGUMENTVM.

Sydone digressus, surdum curauit Iesus,  
Ephata cum spūto uoce potente sonans.



Sydonis atq; Tyri fines linquebat Iesus,  
Ad mare concedens iterum Galileidos oræ.  
Vrbibus à denis regio quæ nomen habebat.

Profinim

## DOMINICALIA.

Protinus adducunt illi gens incola surdum,  
Qui lingua quoq; captus erat, cunctiq; precantur,  
Inposita sanare manu dignetur ut aegrum.  
Talibus auditis hominem seduxit Iesus  
A populi cœtu medio, statuensq; seorsim  
Illius obstructas digitos immisit in aures:  
Expuit hinc linguamq; manu contingit, in altum  
Suspiciens cælum gemitu non absq; profundo,  
Mox uocem rumpens ait: Ephata, id est aperire.  
Protinus illius referantur uocibus aures,  
Mutaq; defectæ soluuntur uincula linguae,  
Iamq; loquebatur plebi sermone disertio,  
At ne cui memorent factum, præcepit Iesus:  
Quò magis ille uetat, magis hoc iactantur ab omni  
Aedita diuinæ populo miracula dextre,  
Quotquot & audierunt, animo uultuq; stupentes  
Talia dicebant: Dominus rectè omnia fecit,  
Qui surdis audire dedit, mutisq; profari.

DOMINICA XIII. POST TRINITAT.

EVANGELIUM LVCAE X. CAP.

ARGUMENTVM.

Prætereunt hominem cæsum Leuita, sacerdos:  
Ethnici inuento fert miseratus opem.

I S Hec



**H**æc ad Discipulos conuersus dixit Iesus:  
 O quàm sunt oculi foelici sorte beati,  
 Hæc quicūq; uident, quæ uos, mea turba, uidetis.  
 Dico etenim uobis, Reges multiq; Propheta  
 Omnibus optarunt uotis ea posse tueri,  
 Ternere quæ uobis presenti contingit æuo:  
 Nec uidere tamen, nec eis uenere sub aures.  
 Quæ uos quottidie auditis, coramq; uidetis.  
 Quis non hinc meritò uos dixerit esse beatos  
 Ante alios multos, quos secula prisca tulerunt.  
 Talia dum loquitur, Legis uenit ecce peritus  
 Tentandi Dominum causa, cepitq; profari:  
 Dic mihi (nam constat te singula nosse) magister,  
 Consequar eternam per qualia facta salutem?  
 Respondet Christus: Legis quæ uerba leguntur  
 Ille refert: Dominum cali terræq; parentem,

Viribus

## DOMINICALIA.

Viribus è cunctis & pectore dilige toto:  
Inde tibi charus, uelut ipse es, proximus esto.  
Talibus auditis illi respondit Iesus:  
Iam bene dixisti Legis mandata recensens,  
Hec igitur facias, uiuesq; beatus in eum.  
Ille sed affectans se iustificare: Magister,  
Hoc etiam dicas, quis nam mihi proximus? inquit.  
Protinus historiam talem narrauit Iesus:  
Cum Solyma quidam descenderet urbe uiator,  
In Iericho, quæ puniceis est clara rosetis,  
Incidit in seuos incauta mente Latrones,  
Qui miserum nummis spoliant, plenumq; relinquunt  
Vulneribus, iacet ille dolens mortiq; propinquus,  
Vix animam laeso trepidantem pectore ducem.  
Plurimus è toto manabat corpore sanguis,  
Sanguine cumq; suo uitæ calor ibat in auras.  
Accidit ut quidam transiret fortè sacerdos,  
Ille uidet miserum, sed dura mente recedit,  
Non etiam minima trepidantem uoce salutat.  
Hunc Leuita uiam sequitur facturus eandem,  
Utq; locum tetigit, uiso quoq; transijt illo,  
Vlla nec immitem tetigit miseratio mentem.  
Tertius insequitur meliori mente uiator,  
Patria cui lætis foecunda Samaria campis,

Hic



## EVANGELIA

Hic ubi conspexit tam dira in clade iacentem,  
Inq; cruore suo uicina morte natantem,  
Indoluit casum miseri, totoq; cohorrens  
Pectore cum gemitu lachrymas ingente profudit,  
Protinus accedens crudelia uulnera pannis  
Obligat, infundens oleum uiniq; liquorem,  
Leniat ut saeuos repressa tabe dolores.  
Tum super impositum proprio, quo uenit, asello  
Prouehit, & sudans Iericho festinat in urbem.  
Ut subit hospitium, lecto deponitur aeger,  
Accedunt medici plagas curare periti,  
Sumptibus haud ullis parcit, curamq; fidelem  
Infirmi peragit, quem secum aduexerat, hospes.  
Altera iamq; dies aderat, cum sedulus ille  
Hospitio egrediens Domino commendat amicum  
Aegrotum, precij tum bina nomismata magni  
Depromens inquit: Me certa negocia rerum  
Longius ire iubent, sed mox tamen inde reuertat.  
Tu pius interea nobis curabis amicum,  
Infirmoq; operam debes praestare fidelem,  
Suppeditans quicquid sanandi postulat usus.  
Parcere nec sumptu iubeo, nam singula reddam  
Huc iterum rediens, quaecunq; impenderit, hospes.  
Hac ubi narrauit, Phariseo dixit Iesus:

Nunc

DOMINICALIA.

Nunc effare, trium fuerit quis proximus illi,  
In seuos cecidit qui tristi sorte latrones?  
Rettulit hæc domino Legis responsa peritus:  
Proximus ille fuit, sortem miseratus acerbam  
Qui tulit auxillum caso, & suscepit egentem,  
Ex morte in uitam reuocans, & pectora solans:  
Talibus auditis iterum subiecit Iesus:  
Vade igitur, similiq; modo fecisse memento,  
Proximus, ut debet, tibi sic curabitur omnis.

DOMINICA XIII. POST TRINITAT.

EVANGELIUM LUCÆ XVII. CAP.

ARGUMENTVM.

Mundantur bis quinq; uiri, quos lepra tenebat,  
E quibus ingrati non rediere nouem.



**A**ccidit ut Christus, Solymã dũ tēdit in urbē,  
Transiret medios fines Galileidos o rã,  
Quã

## EVANGELIA

Quà iacet herbiferis fœcunda Samaria campis.  
Cumq; uia media Castellum fortè subiret,  
Ecce decem uenère uiri, quos lepra tenebat,  
Dira lues, morbiq; genus curabile nulli.  
Vtq; propinquantem Dominum uidère, repenti  
A longè steterunt tali clamore sonantes:  
Omnipotens nostri Iesu miserere magister.  
Ille uidens miseros, contrà respondet: Abite,  
Vosq; sacerdoti sacris monstrate piandos.  
Iussa citi faciunt, mandata fideliter implent.  
Continuò scabies dissoluitur inter eundum,  
Membraq; mundantur lepræ de sorde maligna.  
Vnus at illorum, cum se uidet esse leuatum  
A ueteri morbo, quem tempora longa tulisset,  
Protinus ad Christum gressu properante recurrit,  
Glorificans Dominum sublimi uoce potentem,  
Ipsius ante pedes cecidit prostratus Iesu,  
Effundens meritas letanti pectore grates.  
Hic gentilis erat prognatus in urbe Sebaſtes.  
Hoc ubi conspexit, subito respondit Iesus:  
Nõne decem fuerant mundati munere nostro?  
Aut ubi nunc mansere nouem, cur nonq; reuersi?  
Vt meritam possent Domino persoluere laudem.  
Scilicet ex tantò numero redit Ethnicus unus.

O genit

DOMINICALIA.

O genu ingratum, nec tali munerere dignum,  
Hec ubi factus erat, subito conuersus ad illum,  
Qui redijt gratus, tali est sermone locutus:  
Surge & abi quocunq; uoles, charissime fili,  
Nam tua grata fides ueteri te peste leuauit.

DOMINICA XV. POST TRINITAT.  
EVANGELIUM MATTH. VI. CAP.

ARGUMENTUM.

Possibile est nulli dominis seruire duobus:  
Absq; Deo uictus nullaq; cura iuuat.



**N**emo potest equè dominis seruire duobus,  
At etenim huic aduersus erit, propensus et illi,  
Aut uni ad sistens alium contemnet iniquè.  
Non pariter seruire Deo Plutoq; potestis.  
Propterea uobis dico, ne pectore sitis  
Sollicito propter mortalis commoda uite:

Quid

## EVANGELIA

Quid stimulantē fame comedatis, siue bibatis,  
Et quo uestitu frigentia membra tegatis.  
Nōne anima est melior, quā corporis esca caducē  
Et uestimentis an non sua corpora prestant?  
Aspicite in celo uolucres hinc inde uagantes,  
Nulla serunt, & nulla metūt, nec in horrea cōdunt  
Semina, celestis genitor tamen educat illas.  
An non uos auibus meliores omnibus estis?  
Dicite, quis uestrū curando multa ualebit  
Apposuisse sibi cubitum procerior unum?  
Sollicitos & ad huc quid uestimenta fatigant?  
Aspicite en iterum uernantia lilia campi,  
Non ea nere ualent, nullum faciuntq; laborem,  
Et tamen affirmo, quōd nec Salomonis in ipso  
Regali folio tam pulchra effulsit imago,  
Qualem natiuo referunt hęc picta colore.  
Sic igitur fœnum perituraq; gramina campi,  
Quę fulgent hodie, cras iniiciuntur in ignem,  
Quando Deus uestit: quando uos uestiet ille  
Curabitq; magis, fidei gens impia parua?  
Ergo sollicito non sitis corde loquentes:  
Vnde cibus uel potus erit? qua ueste tegemur?  
Talia conquirunt in sano pectore gentes,  
Quę nullum nouere Deum, curisq; laborant.

Scilicet

DOMINICALIA.

Scit pater in celo uester, quibus indigeatis,  
Tempore cuncta suo credentibus estq; daturum.  
Quare principio caelestia querite Regna,  
Iusticiamq; Dei ueram, qua sydera adimus,  
Omnia tunc uobis uita emolumenta dabuntur,  
Crastina uos hodie nil quicquam cura fatiget:  
Crastina namq; dies pro se curabit abunde,  
Est sua sufficiens afflictio cuiq; dici.

IDEM EVANGELIUM ALIO TEMPORE SIC

Elegiaco carmine redditum:

ARGUMENTVM.

Nos seruire Deo, atq; ipsi committere curam,  
Corporis, & uictus non male Christe iubes.

**N**emo potest recte Dominis seruire duobus,  
Alter enim inuisus, charus & alter erit:

Aut hunc despiciet, nec non mandata iubentis  
Alterius promptè sustinuisse uolet.

Non seruire Deo quisquam Plutoq; ualebit,  
Tam diuersa simul numina nemo colet.

Propterea dico, ne pectora uestra sinatis  
Sollicita curis anxietate premi,

Qua ratione cibum uobis potumq; paratis,  
Quaq; simul possint corpora ueste tegi,

Non ne

## EVANGELIA

Non ne anima est uictu melior, quia nescia fati  
Non ne sua corpus plus quoq; ueste ualet  
Respicite in uolucres celi sub luce uolantes,  
Semina nulla serunt, nullaq; farras metunt:  
Accumulant flauam nec in horrea pinguia messes,  
Et tamen has pascit dextera larga Dei.  
Non ne patri summo plaris uos esse putatis.  
Quam uolucrū, pennis quod uolat, omne genus  
Quis tamen e uobis cubitum sibi prouidum unum  
Sollicitis curis apposuisse ualet  
Ac de uestitu, quo corpora uestra tegantur,  
Cur uos tanta precor sollicitudo tenet  
Aspicite en oculis florentia lilia campi,  
Non ullum faciunt illa laboris opus:  
Hoc tamen affirmo, quod gratia, qualis in illis,  
Magnifici talis nec Salomonis erat.  
Non ita Regali fuit hic formosus amictu  
Quam sunt in campis lilia pulchra suis.  
Lilia natiuo triplici distincta colore,  
Iridis effigiem que sinuantis habent.  
Tam bene si uestit flores herbasq; caducas  
Que uernant hodie, cras pereuntq; Deus  
Vos melius quanto poterit uestire, uoletq;  
Onimium parua pre dita turba fide.

Non

**D: O M I N I C A L I A.**

Non igitur preſi uanis ita dicite curis:  
Vnde cibus nobis, undeq; ueſtis erit?  
Talia ſollicito conquirunt pectore gentes,  
A nobis pietas quod iubet eſſe procul.  
Non illæ nouere Deum, nec credere poſſunt,  
Ipfius æterna ſe bonitate regi.

At uos præſidium caeſteq; numen habetis,  
Quod uos non unquam deſeruiſſe poteſt.  
Et pater omnipotens, mihi credite, ſingula nouit,  
Qualibus indigeant corpora ueſtra bonis.  
Propterea primùm caeſtia quaerite Regna,  
Et reliquæ uobis adiſcientur opes.  
Non aliquæ uobis faciat lux craſtina curas,  
Sufficiet curam nam ſibi quæq; dies.

DOMINICA XVI. POST TRINITAT.

**EVANGELIUM LVCAE VII. CAP.**

ARGUMENTVM.

Dum uiduæ natum reuocat de funere Chriſtus,  
Se Dominum uita, mortis & eſſe probat.

**A**ccidit ut Chriſtus Naimæ ſuccederet urbi  
Discipulis cinctus multis, turbaq; frequēti.  
Iamq; propinquabant portis, cum filius ecce  
Mortuus effertur, uiduæ ſpes unica matris:  
Quam lachrymis udam plenamq; doloris acerbi

K 2 Multa



EVANGELIA



Multa sequabatur præmisso funere plebes.  
 Christus, ut aspexit mulierem, protinus illi  
 Condoluit uocemq; leuans: iam desine, dixit,  
 Humectare genas lachrymis, feretroq; propinquas  
 Sarcophagum dextra tetigit, steteruntq; ferentes:  
 Surge tibi dico iuuenis, clamauit Iesus.  
 Mortuus extemplo se sponte erexit in altum  
 Ad uocem Domini surgens, coepitq; profari,  
 Quem placidus uitæ redeuntem ad munera Christi  
 Tradidit exanimi propter noua gaudia matri.  
 Talia spectantum magno percussa timore  
 Pectora, laudabantq; Deum sic uoce sonantes:  
 Surrexit magnus nostra de gente Propheta,  
 Et populum Deus ipse suum respexit ab alto.  
 Atq; hic dispersus Iudæa per oppida sermo,  
 Vicinas cursu celeri transiit in oras.

EIVSDEM

**DOMINICALIA,**  
EIVSDEM EVANGELII  
Versio Elegiaca.

ARGUMENTVM.

Non morimur casu, nec casu uiuimus ipsi,  
Et Domino curæ mortis in ore sumus.  
Ut uiduæ natum Christus reuocauit ab Orco,  
Corpora sic olim uiuere nostra dabit.

**I**ngrediebatur Galileam Christus in urbem,  
Quæ fuerat prisco nomine dicta Naim.  
Discipuli multi Dominum comitantur euntem  
Atq; ingens populi turba sequentis erat.  
Et iam contigerant portas, cum flebile planctu  
Non sine lugubri funus ab urbe uenit.  
Filius ille suæ fuerat spes unica matris,  
Quæ uidua dudum uixerat orba domo.  
Nunc etiam natum mors heu crudelis ademit,  
Iam nihil ulterius, quo recreetur, habet.  
Ipsa sequebatur gemebunda uoce feretrum,  
Maternas tingens imbre cadente genas.  
Ah quoties ruit exanimis per strata uiarum,  
Et manibus comitum uix releuata fuit.  
Illam turba frequens sequitur de ciuibus urbis,  
Vicine casu tristis & ipsa suæ.

K 3 Indo

## EVANGELIA

Hec ubi caelesti natus patre uidit Iesus,  
Indoluit matris protinus ille uicem.  
Adq; recusantem uultu conuersus amico:  
Siste tuos gemitus mox age mater, ait.  
Vix leuat illa oculos lachrymarum fonte grauatol,  
Attonitoq; herens aspicit ore uirum.  
Vtq; ad se redijt paulatim animumq; resumpsit,  
Pectore spem tacito coepit habere bonam,  
Quamlibet ignorat, quid sit sperare futurum,  
Ominat euentum mens tamen agra bonum.  
Protinus accessit Dominus tetigitq; feretrum,  
Et qui portabant sistere iussit iter.  
Nec mora diuino linguam sermone resoluens:  
Surge mihi iuuenis mortue uiuus, ait.  
Mortuus extemplò superas se erexit in auribus,  
Ad uocem surgens mira q; iussa Dei.  
Vtq; resedit habens uitam coepitq; profari,  
Mox illum matri reddidit ipse suæ:  
Atq; ait: en natum mulier, quem tristia fata  
Abstulerant, nostro munere rursus habe.  
Grata Dei nato fac sis, de numine cuius  
Prestita uenerunt hæc benefacta tibi.  
Protinus inuasit mentes timor ista uidentum,  
Talibus occipiunt glorificare Deum:

Maxi

**DOMINICALIA.**

*Maximus in nostra surrexit gente Propheta,*

*Et dominus plebem uisitat ipse suam.*

*Exijt hic omnes Iudae rumor in oras,*

*Famaq; uicinas transijt usq; plagas.*

DOMINICA XVII. POST TRINITAT.

**EVANGELIUM LUCAE XIII. CAP.**

ARGUMENTVM.

*Hydropicum Christus uerbo per Sabbata curat,*

*Et probat extracto talia facta boue.*



**S**abbata lux aderat, cum forte subiuit Iesus  
De grege cuiusdam Phariseo principis aedes,  
Scilicet ad mensa conuiuia lauta uocatus.  
Iamq; recumbent mensa, studioq; maligno  
Seruabant omnes, quid nam loqueretur Iesus.  
Protinus ad mensam gemebundus constitit aeger,  
Cui distentus erat suffusa uenter ab unda,  
Sanari cupiens Domini uirtute potentis,

K 4 Hunc

## EVANGELIA

Hunc ubi conspexit, scribis ita fatur Iesus:  
Num curare aliquem fas est per sabbata morbum?  
Conticuere omnes, responsaq; nulla dedere.  
Ast hominem dextra miserum cum uoce prehedit,  
Sanatumq; graui morbo dimisit Iesus.  
Tunc iterum dixit uultu conuersus ad illos,  
Qui simul in mensa lingua reticente sedebant:  
Dicite quis uestrum, si bos uel segnis a sellis  
In puteum casu fuerit per sabbata lapsus,  
Continuo ad motis non funibus extrahat illum?  
Talia dicenti nil respondere ualebant:  
Iamq; sedens mensa quosdam cognouit Iesus  
Accubitus primos elato corde petentes.  
Orsus ad hos igitur tali sermone profatur:  
Cum fueris charo conuiuia rogatus amico  
Ad thalami festum, iucundaq; fercula mensæ,  
Affectare loco noli discumbere primo,  
Ne ueniente alio, qui te præcellit honore,  
Cede locum dicat meliori desuper hospes,  
Tumq; rubens residere loco cogaris in imo.  
Quin potius quando fueris conuiuia uocatus,  
Extremum mensæ spacium cepisse memento,  
Ut si te ueniens intro conspexerit hospes,  
Dicat amice tibi, cedens ascende supernè.

Gloria

DOMINICALIA.

Gloria tum populo ueniet tibi dulcis ab omni.  
Omnis enim qui se tollens uehementius effert,  
Deijcietur humi sumpto spoliatus honore:  
Deprimit & qui se submisso pectore uiuens,  
Nomine sublimis merito tolletur in altum.

DOMINICA XVIII. POST TRINITAT.  
EVANGELIUM MATT. XXII. CAP.

ARGUMENTVM.

Mandatum quod sit magnum, respondit Iesus.  
Cuius sit Christus filius, inde rogat.



**C**um Phariseorum uenisset fama sub aures,  
Quod Sadduceis os obturasset Iesus.  
Inuita cogens seruare silentia lingue,  
Protinus irati cœtum uenere sub unum,  
Dedecus ulturi sectæ maculamq; propinque.  
Consilijs ergo uarijs hinc inde agitatis,

K S Qua

## EVANGELIA

Qua ratione uelint laqueos intendere Christo,  
Comiter accedunt Dominum, Legisq; peritus  
Talibus incipiens dixit: Venerande magister,  
Dic mihi mandatum Legis quod dicere magnum  
Conueniat. fraudem subolens respondit Iesus:  
Dilige corde Deum toto, summisq; Tonantem  
Viribus amplexus summo uenereris honore.  
Hoc est mandatum primum super omnia magnum.  
Huic aliud iusta simile est ratione secundum:  
Dilige quisquis erit, sicut te, proximus ipsum.  
Ex his mandatis pendet Lex tota duobus,  
Et quicumq; canunt Oracula sancta Propheta.  
Talia mirando cum redderet ore roganti  
Verba Deus, tacuit confuso pectore Doctor,  
Et responsa alij potuerunt reddere nulla.  
Hinc Phariseorum cum turba coisset in unum,  
Hos Dominus rursus tali sermone rogauit:  
Dicite Doctores populi, Legisq; magistri  
Quid nam de Christo uobis nascente uidetur?  
Filius & cuius ueniet? quo sanguine cretus?  
Respondent: sobolem Dauidis credimus illum,  
Huic etenim talem natum promisit ab alto  
Omnipotens, Iesse uenturum à stirpe uetusta,  
Atq; pium tanto Regem dignatus honore est.

Quo

DOMINICALIA.

Que semel instituit, nunquam sua pacta reuellet.

Talibus auditis iterum respondit Iesus:

Si soboles Davidis erit de sanguine Christus,

Dicite cur Dominum Iesseus nominat illum?

Talia cum sacro repletus numine cantat:

Omnipotens Dominus celsi regnator Olympi,

Hec domino mandata meo caelestia dixit:

Nate mea uires, mea magna potentia solus,

Im quo complacitum mihi, qui mea summa uoluptas,

Ad dextram te pone meam, similisque parenti

Imperium teneas caeli, terraeque, marisque.

Hec tibi sit mecum sine fine modoque potestas,

Donec subijciam cunctos tibi fortiter hostes,

Vt sit fulcra pedum soleis calcanda tuorum.

Dauides igitur Dominum si praedicat illum,

Dicite quo pacto nam filius esse ualebit

An pater hoc tanto natum dignetur honore?

Vt Dominum dicat, merito qui seruus habendus.

Hec ubi fatus erat, uocem suspendit Iesus.

At illi incerti quae nam responsa remittant,

Obticuere omnes diuino aenigmate capti,

Nec potuere Deo minimam uel reddere uocem.

Tempore iam ex illo tenuere silentia cuncti,

Non ausi ulterius Christum tentare rogando.

DOMINI



EVANGELIA

DOMINICA XIX. POST TRINITAT.  
EVANGELIUM MATTH. IX. CAP.

ARGUMENTVM.

Offertur Christo membris paralyticus eger,  
Hunc ubi curauit, tollere strata iubet.



**I**ngressus nauem mare traiecit iesus,  
Dilectam repetens cursu properante Capernam,  
Ecce paralyticum procul obuia turba ferebat,  
Debilibus fractum membris, lectoq; iacentem:  
Aedere nec uocem poterat, suspiria tantum  
Ingeminans taciti promebat signa doloris.  
Christus ubi agnouit studiumq; fidemq; gerentum,  
Talibus alloquitur defectum uiribus egrum:  
Sis animo leto fili, confide, remissa  
Nam peccata tibi tua sunt, quibus antè fuisti  
Infirmo meritis miserandum in corpore morbum.

Hoc

DOMINICALIA.

Hoc ubi uiderunt Scribæ Legisq; periti,  
Qui pietate sua freti meritisq; tuebant,  
Inter se tacito sic sunt sermone locuti:  
Impius iste Deum factis blasphematur iniquis,  
Perq; potestatem falsam peccata remittit,  
Talia uolentes tacite cognouit Iesus,  
Perspicuus diuina animos uirtute latentes.  
Atq; ait: o populi proceres Legisq; magistri  
Cur tam praua tenet uestras meditatio mentes?  
Pectora cur uoluunt ea quæ non lingua profatur?  
Nostraq; facta animo cur tam censetis iniquos?  
Quæ pius æ gratis præsto, sanosq; remitto.  
An leuius dictu est tibi sunt peccata remissa:  
Vel, consurge ualens gressuq; incede salubri:  
Efficiam tamen ut factu noscatis in isto,  
Quod mihi soluendi data sit peccata potestas.  
Proimus affatur trepidantem talibus ægrum:  
Surge celer, lectumq; ferens, qui te ante ferebat  
Ægrotum, sanus proprios, accede penates,  
Cognoscantq; homines, quæ sit mihi uera potestas.  
Nec mora surrexit renouatis uiribus æger,  
Contenditq; domum tergo sua stragula portans.  
At populus fieri per Christum talia cernens  
Miratur factumq; potens, laudatq; Tonantem,

A quo

EVANGELIA

A quo tanta hominum generi concessa potestas,

DOMINICA XX. POST TRINITAT.

EVANGELIUM MATT. XXII. CAP.

ARGUMENTVM.

Vxorem nato Rex copulat, emanet hospes,  
Eijciturq; foras, cui mala uestis erat.



**C**um Phariseorum turba iam dicta locutus  
Plurima Christi erat, cōiicia facta resellent,  
Nec tamen infidos animo conuertere posset,  
Rursus ab exemplo simili sic coepit ad illos:  
Persimile est Regi Regnum caeleste potenti,  
Qui thalami nato festum geniale parabat,  
Emittensq; suos tota regione ministros,  
Iussit coniuuas ad gaudia tanta uocari.  
Expediunt illi celeres mandata, sed omnis  
Turba recusauit Regi parere uocanti.

## DOMINICALIA.

Hi redeunt infecta domum mandata ferentes.  
Offendit Dominum plebes ingrata: sed ille  
Protinus ablegans alios sic dicere iussit:  
Ecce parata mea sunt uobis prandia mense.  
Mactauitq; greges ouium, pinguesq; iuuenos,  
Quidquid & altitium fuerat, sunt omnia prompta.  
Approperate igitur, nec uos mora longa retardet  
Tam lautis epulis ut guttura uestra fruantur.  
Ista ferunt serui populos mandata per omnes  
Hi quoq; neglecta Regis bonitate uocantis  
Posthabuere suis scelicia gaudia curis  
Quisq; suas uillis, sua commoda quisq; secutus.  
Ast alij seruos domini cepere, malisq;  
Vexauere modis miseros, mortiq; dedere  
Pessima reddentes benefactis premia tantis.  
Hec ubi facta pij uenerunt Regis ad aures,  
Protinus exarsit iustam commotus ad iram.  
Nec mora militibus lectis, belloq; parato  
Ignibus & ferro sceleratos perdidit hostes,  
Aequauitq; solo uersam cum mœnibus urbem:  
Quas meruit pœnas ita gens ingrata recepit.  
Talibus exactis seruos sic fatur ad ipsos:  
Cuncta parata quidem fuerant, sed credite dignus  
Qui mea gustaret conuiuia, non fuit hospes.

RETTULIS

E V A N G E L I A

Rettulit hinc pœnas merito qui munera spreuit,  
 Ne sint uana tamen regalis fercula mensæ,  
 Ite mihi celeres per compita cuncta ministri,  
 Et quoscunq; loco passim inuenietis in ullo,  
 Colligite, ad nostras epulasq; uenire iubete.  
 Protinus egressi famuli per strata uiarum,  
 Quoscunq; inueniunt homines, prauosq; bonosq;  
 Accumulant, cunctosq; ad regia limina ducunt.  
 Feruet iter, stridentq; gradus uenientibus aule,  
 Illos porticibus Rex accipiebat in amplis,  
 Atq; salutos secum in penetralia ducit.  
 Discubuere thoris regali more paratis,  
 Fercula delicijs uarijs digesta feruntur.  
 Iamq; uidendus erat mensarum maximus ordo,  
 Turba frequēs hominum quibus sedebat,  
 Regales epulas & dulcia pocula carpent.  
 Tum Rex ingreditur mediam sublimis in aulam,  
 Ut uideat populos ad gaudia tanta uocatos.  
 Assurgunt omnes uenienti, & tempora nudant.  
 Illi leta piam pertentant gaudia mentem.  
 Utq; oculos tota placidè circumtulit aula,  
 Fortè ibi conspexit quendam, cui corpora circum  
 Sordida uestis erat, festoq; indigna iugali.  
 Illum terrificis compellans uocibus, inquit:

DOMINICALIA.

Dic age, cur nostrum subiisti limen amice,  
Tam non læticia digno uestitus amictus  
Vnde hæc tanta tuam subiit fiducia mentem?  
Ille nihil contrà potuit proferre loquendo,  
Sed tamen exanimi pallens obmutuit ore.  
Continuò fidis Rex dat mandata ministris:  
Mittite correptum manibus pedibusq; ligatis  
Extremas procul in tenebras, ubi fletus & ingens  
Stridor erit, nimiumq; graues sine fine dolores,  
Sordidus haud etenim regali est dignus honore,  
Sed cum ueste sua Stygiam descendit in aulam.  
Nam quamuis multi sunt ad bona uera uocati,  
Attamen electos lux arguet ultima paucos.  
Fœlix in numero quisquis censebitur isto.

DOMINICA XXI. POST TRINITAT.  
EVANGELIUM IOAN. III. CAP.

ARGUMENTVM.

Regulus infirmæ fidei te Cbriste precatur,  
Auxilium nato, sed citò, ferre uelis.

**R**egulus imperium Galilææ in parte tenebat  
Nobilitate potens, & fortibus acer in armis,  
Febre laborabat cui filius urbe Capernâum  
Decumbens, magnoq; trahens discrimine uitam.  
Hic ubi uicinas Christum cognouit in oras

L Aduenisse

EVANGELIA



Aduenisse, citò properans accessit ad illum,  
 Orauitq; gemens, unà descendere uellet,  
 Et sanare suum presenti numine natum,  
 Infœlix animam qui iam moriturus agebat.  
 Audijt orantem Christus, contraq; profatur:  
 Vos nisi prodigium mirandaq; signa uideritis,  
 Credere non firmo persuasi corde potestis,  
 Inde moræ impatiens respondet Regulus illi:  
 O Domine ad natum properans descende, priusq;  
 Exhalans animam uacuas emittat in auras,  
 Illius & uitæ miseri spes nulla superfit.  
 Christus ait: Tu uade domum, tibi filius, inquam,  
 Viuit, & in eolumi discessit corpore morbum.  
 Credidit his uerbis, fidens animoq; recessit  
 Regulus, & natum cupide uisurus abiuit.  
 Cumq; domum repetens cliuo descenderet: ecce

Occidit

## DOMINICALIA.

Occurrunt famuli Domino, iucundaq; portans  
Nuncia, dicentes: uiuit tibi filius, omnis  
Morbus & abscessit membris, sanumq; reliquit.  
Ille rogans certum quaesuit tempus & horam,  
Qua melius primùm natus coepisset habere.  
Septima respondent hesternæ erat hora diei,  
Tempore quo febris miserum depulsa reliquit.  
Talibus è uerbis horam cognouit eandem  
Nempe fuisse pater, Dominus qua dixerat illi:  
Vade domum, saluus uiuit tibi natus. Ab illo  
Tempore iam Christo melius confidere coepit  
Regulus, atq; illi studio se credere toto,  
Cuius opem certam rebus sensisset iniquis.  
Illum tota domus simili pietate secuta est,  
Concelebrans factum Domini, uocemq; potentem.  
Hæc iterum fecit peragens miracula Christus,  
E Solymis quando Galileas uenit in oras.

DOMINICA XXII. POST TRINITAT.

EVANGELIUM MATT. XIX. CAP.

ARGUMENTVM.

Rex pius oranti condonat debita seruo:

Erga alium immitem rursus, ut antè capit.

**D**iscipulos aliquando docens sic dixit Iesus:  
Persimile est Regi regnum caeleste potenti,

L 2 Qui



EVANGELIA



Qui sibi subiectos rationem reddere seruos  
 iussit, & acceptis coniuncta expensa referre,  
 Hoc ubi cœpisset, seruus sese obtulit unus,  
 Qui Domino decies debebat mille talenta.  
 Soluere sed precium cùm non tam grande ualeret,  
 Rex illum socia iussit cum coniuge uendi,  
 Omnibus & natis, & quæ bona cunq; teneret,  
 Ut fieret tanta perfecta solutio summa.  
 At genibus flexis cœpit procumbere seruus  
 Ante pedes Domini, supplexq; hac uoce precanti:  
 Propitius Rex esto mihi, concede precanti  
 Temporis exiguum spaciū, quò debita soluantur.  
 Protinus est serui mansueto corde misertus  
 Rex pius orantis, cui debita cuncta remisit.  
 Egreditur letus tali de munere: uerùm  
 Immemor, ingratusq; fuit bonitatis herilis,  
 Non alijs præstans quæ gratia contigit illi.

Namq;

DOMINICALIA.

Namq; è conseruis ubi casu repperit unum,  
Denarios centum qui alieni debuit æris,  
Protinus arripuit collo pressitq; dolentem  
Efferus in clamans: quæ debes perfide reddas,  
Ni facis, extremo nobis multabere damno.  
Procidit ille miser, palmasq; extendit utraq;  
Supplice cum gestu, tali sermone precatius:  
Sis mihi propitius, nam debita singula reddam,  
Et concede moram clementi pectore paruam.  
Noluit ille preces conserui audire rogantis,  
Sed miserum abripiens inclusit carceris antro,  
Omnia commisi dum debita solueret æris.  
Indignus Domini nequam bonitate priori:  
Talia seruorum cum cætera turba uideret,  
Contristata fuit grauiter, Regiq; recensens  
Exposuit serui crudelia facta maligni.  
Tum uerò infremuit Dominus, seruumq; uocauit,  
Talibus increpitans meritò sermonibus illum:  
Dic mihi serue nocens factorum indigne bonorum,  
Omnia nõne pio tibi debita corde remisisti?  
Quandoquidem supplex humili me uoce rogabas,  
Non igitur simili quoq; te ratione decebat  
Conseruum tractare tuum? qui paucula debet,  
Ipse tui sicut fueram scelerate misertus.  
Sed quia nulla tuam flexit moderatio mentem,

L 3 Imme-

## EVANGELIA

Immemor & ueniae mansisti ingratus herilis.  
Ipse etiam benefacta uolo reuocare priora,  
Nec bonitate mea, quamuis concessa, frueris:  
Dixit, & iratus diris tortoribus illum  
Tradidit, extremum dum solueret usq; quadrantis.  
Sic pater è caelo uobis quoq; triste rependet  
Supplicium, quando non condonabitis omnem  
Fratribus in terra clementi pectore noxam.  
Gratia tum uobis penitus diuina peribit.

DOMINICA XXIII. POST TRINITAT.  
EVANGELIUM MATT. XXII. CAP.  
ARGUMENTUM.

Obijcitur Christo Romani quaestio census:  
Caesaribus reddi iusta Deoq; iubet.



**C**um Phariseorum coetus uenisset in unum,  
Consilium cepere dolis & fraude malignum,  
Ut caperent Christum medio sermone loquentem.  
Iam decreta fuit paribus sententia uotis,

Discipulo

DOMINICALIA.

Discipulos misere duos, Herodis ab aula  
Adiectis aliquot, Domino qui talia dicunt:  
Novimus ingenio quod uerus es ore Magister,  
Et syncera Dei quæ nam sit semita monstras,  
Nec tibi personæ ullius respectus habetur:  
Expeditas igitur, quidnam tibi Christe uidetur?  
Reddere num liceat, uel non persolvere censum  
Cæsareum? Fraudem subito persensit Iesus,  
Atq; ait: Incepto quid me tentatis iniquo  
O simulatores animo diuersa loquentes?  
Quin potius uestri monstrate nonismata census.  
Illi denarium promunt monstrantq; iubenti.  
Inde rogat: Quis nam titulus, uel cuius imago?  
Cæsaris obijciunt. Tum protinus inquit Iesus:  
Reddite Cæsaribus, quæ Cæsaris esse tenetis,  
Quæq; Deo debent præstari, reddite & illi.  
Talibus auditis abeunt, ipsumq; relinquunt,  
Tam responsa suis mirati commoda uerbis.

DOMINICA XXIII. POST TRINITAT.  
EVANGELIUM MATTH. IX. CAP.  
ARGUMENTVM.

Filia primatis Christo ueniente reuixit:

Profluuium Domini simbria tacta leuat.

**T**alia cum dicens populo loqueretur Iesus,  
Ecce uenit primas Iudæe gentis ad illum,  
Nominis conciuem patrio dixere Gayrum.

L 4 Proc.

EVANGELIA



Procidit ille solo Dominum reuerenter adorans,  
 Talibus hinc cœpit: Salue uenerande magister,  
 Filia proh uitam mihi iam defuncta reliquit  
 Vnica, dilecti fuerat qua cura parentis.  
 Sed tu Christe ueni, palmaſq; impone iacenti,  
 Continuò uiuet, nec me ſpes irrita fallet.  
 Surgit ad hanc uocem Chriſtus, ſequiturq; rogantē,  
 Discipuli greſſum Domini comitantur euntis.  
 Dumq; uiam faciunt mulier, quaſanguinis atrii  
 Profluuium tulerat bis ſenos debilis annos,  
 A tergo acceſſit Dominum, ueſtemq; prehendens  
 Illius extremas digitis tantum attigit oras.  
 Nam firmata fide ſecum ſic dixerat antè,  
 Si Domini tantum dabitur contingere ueſtem,  
 Salua potenter ero, morboq; exempta priori.  
 Præ otinus ad miſeram uultum conuertit Ieſus,  
 Confuſamq; metu uerbis ſolatur amicis:

Filia

DOMINICALIA.

Filia confidas, tua te fiducia saluam  
Reddidit, extemplò morbus diceſſit ab illa,  
Ampliùs & nullum ſenſit mundata fluorem.  
Iamq; ubi procedens Dominus Primatis ad ædes  
Venerat, ingentem primo ſub limine turbam  
Offendit, carmenq; tuba funebre canentes:  
Protinus à tectis populi ſecedite, dixit,  
Mortua non etenim Primatis filia uerè eſt,  
Sed potiùs blando deuicta ſopore quieſcit.  
Talia dicentem largo riſere cachinno.  
Sed populi poſtquam iam turba eiecta fuiſſet,  
Ingreditur Dominus, qua mortua uirgo iacebat  
Illius & mira dextram uirtute prehendit.  
Nec mora ſurrexit uita redeunte puella  
Ad Domini tactum, blando uelut excitat ſomno  
Sermonesq; dedit patri, uictumq; popoſcit.  
Transijt hic ſubitò uicinas rumor in oras,  
Atq; alijs alij miracula tanta recenſent.  
Vnde Dei creuit per multas gloria laudes,  
Subdita cui ſoli uita mortisq; poteſtas.

DOMINICA XXV. POST TRINITAT.

EVANGELIUM MATT. XIII. CAP.

ARGUMENTUM.

Temporis extremi uentura pericula Chriſtus  
Precinit, inde ſibi queng; cauere monet.

L S Chriſtus

EVANGELIA



**C**Hristus ubi extrema pronuncia signa diei  
 Discipulus monstrās uario sermone refert,  
 Adidit hās etiam monita inter cetera uoces:  
 Imprimis iubeo uos obseruare ministri  
 Temporis extremi quando cernetis abusum  
 Omnia uestantem commixtis sacra prophanis,  
 Et desolantem uerē pietatis honorem,  
 De quo scripta sonant Danielis uerba Prophetæ:  
 Inq; loco stabit scelus execrabile sancto,  
 Qui tunc ista legis, ueros intellige sensus.  
 Nam facies rerum miserabilis undiq; surget,  
 Et mala paulatim crescent in fine dierum.  
 Qui tunc Iudæis habitabit mœnibus, ille  
 In montes fugiat, sese latebrisq; recondat,  
 Conscia ne uideant uenturam lumina cladem.  
 Si quis at in tecto fuerit, descendere nolit,  
 Auferat ut quicquam laribus, seruare quod optet.  
Quenq;

DOMINICALIA.

Quenq; tenebit ager, non expetat ille reuerti,  
Aedibus ut possit seruandas tollere uestes:  
Sed quo quisq; loco fuerit tunc, ille manebit.  
Vae nimium uerò miseris pregnantibus illo  
Tempore, quæq; fouent lactentia pignora matres.  
Vos optate igitur, summumq; orate parentem,  
Ne fuga per brumam uobis aut sabbata fiat.  
Maxima tum siquidem terris afflictio surget,  
Qualis ab exorto primæui tempore mundi  
Non fuit, aut seclis ueniet non ulla futuris.  
Ac nisi celestis bonitas abrumperet istos  
Auxiliata dies, hominum genus omne periret  
Sed pater æternus, cui sedula cura piorum,  
Fmiet electos tam noxia tempora propter,  
Tantum abbrevians spacia interrupta malorum,  
Tunc aliquis blando referat si gutture uobis:  
En hîc Christus adest, Ecclesia uera, uel illic:  
Non adhibete fidem, nec falsis credite dictis.  
Namq; mali surgent ficto sub nomine Christi  
Doctores, falsæ fidei pseudiq; prophete,  
Magnaq; signa dabunt, & prodigiosa loquentur,  
Ut uel in errorem credentia pectora ducant,  
Electosq; Dei fucis corrumpere possint,  
Ni uetet hoc summi protectio fida parentis.  
Hæc ego prædixi uobis, uoluiq; monere,



## E V A N G E L I A

Vt quando uenient olim, meminisse queatis,  
Nostraq; submoneat uestras predictio mentes.  
Ergo cum dicent uobis: En uerus eremo  
Christus adest: medio uel desidet ecce cubili:  
Non exite foras, alijs nec credite uerbis.  
Sicut enim fulgur claro prorumpit ab ortu,  
Rursus in occasum radios potendit acutos:  
Sic etiam aduentus Domini procedet Olympo,  
Mobilior uentis, & fulminis ocyor alis.  
Tunc ego non abero procul hinc: nam cernitis ipsi  
Sparsa iacent letis ubi multa cadauera campis,  
Approperant aquila, praedaq; fruuntur amica:  
Sic ego tunc uobis adero, praesensq; iuuabo.

DOMINICA XXVI. POST TRINITAT.  
ἐὰν ὠμίη, Euangelium Matth. XXV. cap.

### ARGUMENTVM.

Diuidet innocuos hircis ab olentibus agnos,  
Adueniens iudex Natus ab arce Dei.



Iudicio

## DOMINICALIA.

Iudicio super extremo cū multa referret  
Discipulis Christus, tales dedit ore loquelas:  
Huc aures socij totasq; aduertite mentes:  
Nam uentura canam uobis, mirandaq; dicam,  
Quando hominis natus patrio descendet olympos,  
Diuina iudex in maiestate uerendus,  
Angelicusq; simul ueniens exercitus ibit,  
Deducens Dominum cælo fulgentibus alis:  
Tunc maiestatis sella residebit in alta,  
Iudicium toto facturus in orbe seuerum.  
Iamq; omnes populi, quicunq; ab origine mundi  
Vixerunt terras mortalia regna colentes,  
Agmine conuenient magno (mirabile uisu)  
Iudicis æterni sistentur & ante tribunal.  
Ille autem exurgens dextram protēdet, & omnem  
Diuidet abscindens bino uelut agmine turbam,  
Sicut oues pastor fœdis discernit ab hircis.  
Iamq; agnos dextra statuens, hircosq; sinistra  
Diuidet innocuam turbam de gente maligna.  
Inde leuans uocem solio Rex mitis ab alto,  
Compellabit oues dextra regione locatas:  
Huc agite ô chari benedicti patris adeste,  
Æthereas intrate domos, succedite regno,  
Quod uobis mundo uix dum surgente parauit:  
Illius heredes mecum uiuetis in æuum.

Premia

## EVANGELIA

Præmia synceræ fidei uitæq; ferentes.  
 Nam quando esuri, uos me paupis egenum:  
 Cumq; siti premerer, uos pocula larga dedistis:  
 Hospes eram, tecto me suscepistis amico:  
 Nudus inopsq; sui, læto texistis amictu:  
 Aeger eram, morbo non deseruistis in ipso:  
 Cumq; forem captus, studio uenistis amico  
 Solantes uerbis afflictum, & rebus egentem,  
 Hinc uos iusta manent æterni præmia regni.  
 Talia cum læto fuerit Rex ore locutus,  
 Sic responsa dabunt submisso pectore iusti:  
 Præstitimus quando tibi talia Rex benefacta,  
 Reddentes inopem dapibus potuq; refectum,  
 Hospitioq; pio peregrinum suscipientes,  
 Vestibus & nudi frigentia membra tegentes,  
 Solantesq; ægrum, uel uincula dura ferentem  
 Rex iterum uerbis tunc respondebit amicis:  
 Vera loquor, quæcumq; meis benefacta dedistis  
 Fratibus, aut minimo uestigia nostrâ sequenti,  
 Hæc collata mihi reputo, gratesq; rependam.  
 Talibus exactis faciem Rex inde seueram  
 Ad leuam positus sermone aduertet amaro,  
 Taliaq; irato trepidantibus ore loquetur:  
 Cedite degeneres, nec me spectate prophani,  
 Ite sed æternos maledicti semper in igneis,

Qui

## DOMINICALIA.

Qui Satanae immundis sunt spiritibusq; paratis  
Non uos ulla mei continget portio regni,  
Sed fumosa manent Stygijs incendia flammis,  
Quae fontes animas & corpora uestra perurent,  
Nec requies tanti finisq; erit ulla doloris:  
Has etenim poenas uita meruistis iniqua,  
Debita non unquam, sed semper praua gerentes.  
Queritis ut dicam uestrae quae crimina culpae?  
Esurij, nec uestra cibos mihi praebuit ullos  
Dextera, non etiam sitienti pocula dedistis,  
Hospitio à uobis neq; sum susceptus amico,  
Tegmina nec nudo membris inducta parastis,  
Cumq; egrotus eram, & uinclis captiuus in arctis,  
Vos mihi deserto solatia nulla tulistis,  
Nec libuit nostros uerbis releuare dolores.  
Talia dicenti sic respondere studebunt:  
Quando tibi non haec dedimus benefacta magister,  
Pascentes inopem dapibus, potuq; leuantes?  
Quando peregrinum, uel nudum uidimus esse,  
Nec simul hospitium dedimus, uestemq; libenter?  
An infirmus eras, uel carcere conditus unquam,  
Nec tibi seruitio tulimus salamen amico?  
Hec ubi rettulerint mentita uoce prophani,  
Rex contra incipiens tali sermone loquetur:  
Talia de uobis memini mihi praestita nunquam,

Factaq;

## EVANGELIA

Facta q̄; uestra procul uerbis amota fuerunt.  
 Vera igitur uobis refero, quæcunq; negastis  
 Vni de nostris minimo, mihi ea ipsa negastis,  
 Præstita non illis nobis censentur omissa.  
 Hæc ubi Rex populo dederit responsa sinistro,  
 Protinus æternos ibit damnata sub ignes  
 Turba gemens, ubi perpetui tortura doloris,  
 Semper & arrodens scelerum præcordia uermis  
 Ignis hic ardebit nullo debilis æuo.  
 At iusti æternæ uenient in gaudia uitæ,  
 Præmia synceræ fidei uitæq; ferentes.  
 Fœlix cui talem dabitur contingere metam.

## FINIS.

**V**Enimus ad metam libri finemq; secundi,  
 Paschate qui incipiens Aduentu desinit ipso.  
 Ver simul, Aestatem simul, Autumnumq; peragrâ.  
 Hic iterum nobis parue datur aura quietis.  
 Tertia iam superest festis mihi cura canendis:  
 Hanc etiam partem tentabimus auspice Christo,  
 Totus ut integris constet sermonibus annus,  
 Festaq; sanctorum reliquis adiecta legantur.  
 Hinc Euangelij ueniet mihi meta peractis,  
 Claudenturq; mei læto colophone labores.  
 Christe faue, uatiq; tuo sis uerus Apollo,  
 Ingenium sic omne tuo seruibit honori,

τέλος.

# TERTIA PARS

EVANGELIORVM FESTIVALI-

um, quæ in præcipuis Sanctorum feriis leguntur,  
ab aduentu Domini inchoata.

IN DIE S. ANDREAE APOSTOLI

EVANGELIUM IOANNIS, CAP. I.

ARGUMENTVM.

Commonstrat populis Agnum te Christe Ioannes.

Discipulos cuius suscipit inde duos.



Itera lux aderat rursum, cū  
fortè Ioannes

Discipulis staret coniunctus  
in agmine binis.

Hic iterum casu Christum  
conspexit euntem.

Protinus exclamans turbam sic dixit ad omnem:

M Cernitis

251 EVANGELIA

Cernitis ecce Dei uerum, qui præterit, Agnum,  
 Victima qui tollet mundi peccata redempti.  
 Hanc ubi Discipuli uocem cepere Ioannis,  
 Continuò inquant ipsum, Christoq; propinquum.  
 Illius attento uestigia corde sequentes,  
 Ad quos tum placido uultu conuersus Iesus:  
 Queritis hic socij quem nostris coetibus? inquit.  
 Respondere duo: Rabbi uenerande Magister  
 Hospitium monstrare tuum dignere precamur.  
 Ille refert: si tecta libet spectare, uenite.  
 Vocibus his parent cupidi, Christumq; sequuntur  
 Iamq; propinquantes cernebant hospita tecta,  
 Que simul ingressi domino mandante fuerunt,  
 Consumpsere diem uarijs sermonibus illum,  
 Plurima cum Christo uerbis alterna loquentes.  
 Multa Dei Natum de relligione rogabant,  
 Abdita que sensu prædixerat antè Ioannes,  
 Et spacio instabant iam perficienda propinquo.  
 Altera iamq; dies decimam produxerat horam.  
 Discipuli quando redeunt, Christumq; relinquunt.  
 Illius auditis sermonibus inter eundem  
 Assidue intenti caelestia dicta reuoluunt,  
 Multa uiri uirtus animo, multaq; recursant  
 Egregie uoces, hærent in pectore uultus:

Explet

FESTIVALIA.

Expleri mentem nequeunt, ardentq; loquendo,  
 Vnus at illorum, qui talia uerba Ioannem  
 Dicentem audierat, Christum fueratq; secutus,  
 Frater erat Petri Andream dixere, Symonis,  
 Filius annosi qui piscatoris Ionæ  
 Retia tractabat capiendis piscibus apta.  
 Hic fratrem rediens offendit fortè Symonem,  
 Ad quem suscipiens tali sermone profatur:  
 Vidimus & uero cognouimus ore loquentem  
 Messiam Domini, per quem tot sæcla parentes  
 Optarunt prisci, nec eos sua uota iuuabant:  
 Nunc demissus adest celo uisibile numen,  
 Exhibet & sese ætherea uirtute perunctum.  
 Ipse Deum uidi, uocemq; his auribus hausi,  
 Nec dubijs illum licuit cognoscere signis  
 Admiranda manu peragentem, & uoce loquentem.  
 Si tamen ista tibi mens credere læua recusat,  
 Efficiam quò illum manifesto corpore cernas.  
 Huc ades & promptè uestigia nostræ sequaris:  
 Sic ait Andreas fratri, dextraq; premsum  
 Ducit in hospitium Christi festinus Iesu,  
 Atq; illum Domino siltit, fratremq; fatetur.  
 Aspiciens uerò Petrum sic cœpit Iesus:  
 Non ne Symon tu Petrus ades prognatus Ionæ?

M 2 Post



EVANGELIA

Postmodò sed nobis Cephas dicere, tibiq;  
Hoc cognomen erit firmæ de robore petre.  
Nam tu petra mei fies firmissima uerbi,  
In quo synceræ fidei doctrina recumbet.  
Nunc igitur pisces & retia iacta relinquens  
Me sequere, ut fias nostri pars inclyta regni,  
Et capias homines per sacri retia uerbi:  
Sic prædam referes summo piscator Olympo.

IDEM EVANGELIVM EX MATTHÆO

Cap. III. sic translatum.

ARGVMENTVM.

Petrus & Andreas pelago dum retia iactant,  
Ad se præteriens Christus utrunq; uocat.

**A**D maris incedens Galilæi littora Christus  
Conspexit geminos æquali corpore fratres:  
Scilicet Andream iuuenem, Petrumq; Symonem,  
Retia mittebant liquidas qui fortè sub undas,  
Ut medio captos traherent è gurgite pisces.  
Nam teneris fuerant assueti semper ab annis  
Retibus æquoream iactis educere prædam,  
Atq; hamos tractare leues, cymbaq; uolanti  
Currere per mediam remis sulcantibus undam:  
Hanc pater annosus natis præceperat artem,  
Qua sibi præsidium uitæq; alimenta pararent.

Veritas

## DOMINICALIA.

Verum fata uiros aliò diuina uocabant.  
Hos igitur lato cernens in littore Christus  
Susulit exclamans talem de gutture uocem:  
Hæc properate uiri, mox retia linquite uestra,  
Meq; ducem uobis de celo sumite missum.  
Namq; ego uos longè meliori sorte beabo:  
Amplius haud pisces uitrea capietis in unda,  
Sed mihi mortales prædam capietis Olympo,  
Hæc uos, hæc alios faciet piscatio saluos:  
Sic ait, ast illi diuino numine tacti  
Retia squamosis cum piscibus arcta relinquunt,  
Et Dominum celeres studio feruente sequuntur:  
Accipiuntq; aliam mutato pectore mentem.  
Iamq; hinc digrediens cum processisset Iesus,  
Conspicit ecce alios Zebedæi pignora fratres,  
Maiorem natum Iacobum, pariterq; Ioannem,  
Qui cum patre suo subducta naue sedentes  
Retia solerti reparabant fracta labore,  
Claudebantq; nouo distenta foramina limo:  
Hos etiam Dominus blando sermone uocauit,  
Ipsius ut fiant socij, chariq; ministri.  
Nec mora piscigera relinquunt cum naue parentem,  
Atq; nouo Christi studio mandata capeffunt.

M 3 IN

**EVANGELIÄ**  
IN DIE S. THOMAE APOSTOLI,  
**EVANGELIVM IOANN. CAP. XX**

ARGVMENTVM.

**Non credit Didymus Christum de morte rediit,  
Ni digitis tangat uulnera quina prius.**



**C**VM foribus clausis ueniens intrarat Iesus,  
Hic ubi Discipuli trepidanti corde sedebant,  
Adfuit haud illis Didymi cognomine Thomas,  
Ergo reuertenti reliqui dixere sodales:  
Vidimus hic Dominum presenti corpore uiuunt,  
Ille refert: nisi signa notem manuumq; pedumq;  
Clauorumq; meis digitis uestigia tangam,  
Et lateris misso contrectem pollice uulnus,  
Credere non possum reducem de morte Magistrum,  
Iamq; dies octauus erat transactus ab illo  
Tēpore, quando iterum conclusa per ostia Christus  
Ingre

## FESTIVALIA.

Ingre ditur, præfens aderat tunc agmine Thomas.  
Constitit in medio Dominus, pacemq; precatur  
Discipulis de more suis: hinc uersus ad ipsum  
Rettulit hæc Thomam: Digitos huc mitte, mea q;  
Cum pedibus continge manus, mea uulnera cerne,  
Et latus explora perfossam cuspidis ictu:  
Nec sicut fueras, posthac incredulus esto,  
Surrexisse tuum potius sed crede Magistrum.  
Talia dicenti Didymus respondet & inquit:  
Tu mihi Christe Deus uerè es, Dominusq; salutis,  
Da ueniam infirmæ fidei, dubitauimus antè,  
Postmodò sed toto firmatus pectore credam.  
Rettulit hic Dominus: Credis quæ uisa beati,  
Talia qui credunt, licuit quæ cernere nunquam:  
Et tamen interea fidei stant robore firmi,  
Talibus æternæ debentur præmea uite.

IN DIE S. STEPHANI PROTOMARTYRIS  
EVANGELIUM MATTH. XXIII.

ARGUMENTUM.

Crudeles animos Iudæe gentis Iesus  
Præcinit, in seruos diraq; facta suos.

**C**um proceres Legis quondam taxarat Iesus  
Impia commemorans fucate crimina uite,  
Rettulit has imo commotum pectore uoces:

M 4 Vc

## EVANGELIA

Vae uobis Scribae Phariseaq; secta malignis  
Dedita consilijs, & inani turgida fastu.  
Gypfatis uideo similes uos esse sepulchris,  
Quae foris apparent cultu speciosa: sed intus  
Plena cadaueribus squalent atq; ossibus atris;  
Sic & uestra foris sanctissima uita putatur  
Omnibus, & morum speciem praefertis honestam:  
Interiora tamen cum pectora sorde laborent  
Multiplici, & uitam corrumpat hypocrisis omni.  
Vae uobis iterum Scribae simul & Pharisei,  
Cura prophetarum quibus est ornare sepulchra,  
Sanctorum extruitis monumentaq; clara uirorum,  
Talia dicentes: Si nos transacta tulissent  
Tempora, quae nostris maioribus ante fuerunt,  
Cede Prophetarum non haec imbuta fuisset  
Dextera: particeps nec tanti criminis unquam  
Corde fuisset nil commiserante futuri.  
Talia fucato cum dicitis ore loquentes,  
Illorum sobolem uos scilicet esse probatis,  
Qui sanctos domini rapuerunt morte Prophetas.  
Vos quoq; mensuram uestrorum implete paratum,  
Illis ut similem mercedem aliquando feratis.  
Impia progenies serpentum plena ueneni,  
Iudicium seuæ qua uos ratione Gehennæ

Effugietis

## DOMINICALIA.

Effugietis atrox, quod uobis iure paratum est?  
En ego uenturos ad uos quoq; mitto Prophetas,  
Prudentesq; uiros Domini Legisq; peritos:  
Ex quibus ipsi aliquos perdetis morte nephanda,  
Figetisq; cruci miseros nil tale merentes.  
Ast alios multo seui uibice flagelli  
Reddetis laceros, multoq; cruore fluentes.  
Talia captiuis fieri Synagoga uidebit,  
Tristia pro sacris cernens exempla docendis,  
Nec satis illud erit, pelletis ab urbe, domoq;  
Immeritos passim uelut impia pondera terræ.  
Nec requies miseris dabitur, spaciumq; manendi,  
Exilium sed triste colent hinc inde fugati,  
Errabunt rerumq; inopes atq; omnium egeni.  
Ah quoties uitæ cupient præponere mortem,  
Orabuntq; patrem sese his exoluere curis.  
Tantum miseris eritis uos causa malorum:  
Scilicet ut supra ueniat uos iudicis ira,  
Exigat & iustas omni de sanguine pœnas,  
Qui fuit effusus crudeli cæde piorum  
Tempore ab innocui, fratri qui cæsus, Abelis,  
Vsq; ad Zacchariam Barachia patre creatum,  
Immeritum cuius profudit uestra cruorem  
Dextera, quæ templum situs est locus inter & arā:

M S Nec

EVANGELIA

Nec vos ulla loci pietas dimouit ab ira:

Nec sacris aris insania uestra pepercit,

Insonti maculas pollutum sanguine templum.

At quæ causa fuit tanti motiua furoris?

Nempe quòd à partu Matrem dixisset Iesu

Virginitatis ad huc saluum retinere decorem,

Iacturam casti nec sustinuisse pudoris,

Sed matrem simul intactamq; manere puellam;

Hanc odio uocem tam suscepistis iniquo.

Propterea uerè moneo, quòd pœna manebit

Maxima uos, uestrosq; super uentura nepotes.

Omniaq; euenient uobis prædicta priusquam

Transseat hæc sueto moriens generatio fato.

O Solymæ diuûm domus, istis impia factis,

Tam malè quæ perdis crudeli morte Prophetas,

Obruis et sauo saxorum grandine missos,

Vt tibi commonstrent æterni iussa parentis:

Quæ te fata manent et tibi quam crudele luendum

Supplicium trahitur nullo cessabile sæclo.

“ Ah quoties uolui, tanquam gallina fidelis

“ Congregat acceptos alarum te gmine pullos,

“ Et sobolem expansis mater fouet incuba pennis,

“ Collegisse tuos gremio ceu mater alumnos:

Nec tamen audisti monitus uocemq; uocantis.

VERBA  
BASILII  
λόγος γάρ  
τίς ἐστὶ καὶ οὐ  
τος ἰκπαρὰ  
δοσεως, εἰς ἡ  
μᾶς ἀφίγει  
νος, ὅτι ὁ  
χαρίας ἐντι  
τῶν παρτί  
νων χάρι  
τῆν μαρία  
κατὰ ξας  
μετὰ τῆν τῶ  
κυρίσ κῆσι  
ἔπο τῶριου  
δαίω κατε  
φανεύθη με  
ταξυτῶ ναῶ  
καὶ τοῦ θυσι  
εστρηίς, &c.

FESTIVALIA.

Ipsa tuam spernens aduerso corde salutem.  
Nunc igitur deserta domus tibi linquitur, & iam  
Horribiles pœna uenient, cumulusq; malorum,  
Quæ meritò accipies bona sic oblata recusans  
Commoda cùm nolis, meritò tua damna uidebis:  
Pœnituisse uoles frustra, seroq; dolebis  
Heu nimium, quæ nunc crudelis & impia gaudes  
Hoc tibi postremum dico iuratus Olympum:  
Hinc tibi iam dabitur me copia nulla uidendi,  
Donec ad extremum uenienti talia dicant  
Guttura uestra mihi; Viuat Benedictus in æuum,  
Qui uenit Domini uenerandus nomine summi.  
Hæc ubi fatus erat, presso sermone quieuit.

HISTORIA S. STEPHANI PROTOMARTYRIS,

Ex actorum Cap. 6. & 7. integrè tractata.

ARGUMENTVM.

Dum Solymis Christum signis profitetur & ore,  
Saxorum Stephanus grandine pulsus obit.  
Atq; ita Martyrij primam fert ille Coronam,  
Ex qua conueniens Nomen & Omen habet.

**C**resceret interea fratrum cùm turba piorũ  
Omnibus è populis, Christi qui nomen Iesu Cap. 6.  
Synceramq; fidem capiebant ore professi:  
Ecce uiros inter Graia de gente fideles

Voci-



EVANGELIA

Vocibus alternis cœpit consurgere murmur,  
 Ortaq; commouit magnam contentio litem  
 Hebræos contrâ socios, causamq; ferebant:  
 Quòd uiduæ ipsorum non curarentur in illis,  
 Exigit ad uictum quas cura domestica, rebu.  
 Hunc ubi bis seni motum sensere ministri,  
 Discipulos Domini quos cætera turba uocabat,  
 Continuo cœtum populus coit omnis in unum  
 Totaq; Christigenæ collecta est concio plebis,  
 Ad quam sic illi placido sermone loquuntur:  
 Non decet, in Christo charissima pectora, sacri  
 Ut studio uerbi posito, curaq; docendi  
 Iura ministremus mensæ, rebuq; uacemur,  
 In quibus externi consistit copia uictus.

ORATIO  
 Apostolo  
 rum.

¶ Maius enim Verbum Domini, quàm corporis esca,  
 Propterea fratres oculos conuertite uestros  
 In totum populi cœtum, septemq; probatos  
 Eligite inde uiros, uitæ quos nomen honeste  
 Commendat, sanctusq; Dei quos Spiritus implet,  
 Atq; gerendarum decorat prudentia rerum:  
 His etenim meliùs curam mandabimus istam,  
 Omnibus ut mensis præsent, uictumq; gubernent.  
 Interea uerbo precibusq; uacabimus ipsi,  
 Et quæ sunt Domini, studio curabimus apto.

Hæc

DOMINICALIA.

Hec ubi fatus erat reliquis de fratribus unus,  
Assensere uiri studijs concordibus omnes,  
Dictaq; communi placuit sententia uoto.  
Hos igitur legere uiros ex agmine septem:  
Primus erat Stephanus, cui nomina Graia Corone, **Diaconi**  
Vir sacre plenus fidei statuq; superno. **septem.**  
Alter ab hoc simili notus pietate Philippus:  
Tertius hinc Prochorus, quartum Nicanora ponunt.  
Inde Tymō quintus, sequitur quē Parmena sextus.  
Post hunc Nicoles, Syriae qui natus in oris  
Antiochenus erat, factusq; Profelytus olim.  
Hos ubi legerunt fratres ex agmine toto,  
Continuō Christi duodenos ante ministros  
Conspetu in medio statuunt, ut ritē probatos  
Numine confirment, decretaq; munera tradant.  
At illi precibus consueto more peractis  
Imposuere manus socijs ex ordine septem,  
Tradentes sacro solennia munera ritu.  
Iamq; Dei uerbum uires capiebat eundo,  
Ecnore multiplici turba crescente piorum,  
Quos sacer in Solyma iungebat spiritus urbe.  
Vnde sacerdotum non pauci ex agmine Legis  
Christigenūm sese populo iunxere, fidemq;  
Suscepere nouam manifesto numine moti.

At Stephe-

## EVANGELIA

At Stephanus fidei iam dudum robore plenus  
Signa per astantem faciebat maxima turbam,  
Plurima diuinæ peragens miracula dextra.  
Talibus offensi quidam, qui nomen habebant  
Inuisum Christi, Synagoga membra potentis  
Surrexere uiri, Stephanum contraq; loquentes  
Illius ad linguam non præualuere potentem.  
Nam domini præsens firmabat Spiritus illum,  
Et miranda aderat sacri prudentia uerbi:  
E quibus eloquium ceu pleno fonte fluebat.  
Ergo ubi se paribus non illum uincere dictis  
Posse uident, fraudes nec non mendacia tentant.  
Nec mora consilijs usi technisq; malignis  
Instruxere uiros taciti qui talia dicant:  
Hauimus istius uocem blasphema loquentis,  
Legiferum contra Moysen, ipsumq; Tonantum:  
Quod populum uerè nunc protestamur ad omnem  
Autor ut accipiat scelerati præmia facti.  
Viuerè non etenim fas est, sed morte piandum  
Tale nephas iuxta Legis decreta paternæ,  
Vnius ob noxam reliquis ne poena luatur.  
Vocibus his magno plebs est accensa furore,  
Grandæuiq; simul patres, Legisq; periti.  
Protinus accedunt omnes, Stephanumq; prehensum  
Abripi-

## FESTIVALIA.

Abripiunt, medio captum sistuntq; Senatu.  
Iam ueniunt falsi referenda ad crimina testes,  
Talia qui tacito corrupti munere dicunt:  
Accipe magna uiri quàm sit blasphemia Iudex,  
Quem tibi captiuum præsenti sistimus ore:  
Desinit haud etenim sanctam crudelis in urbem  
Dicere uesane conuicia pessima linguae,  
Et Domini Legem uarijs contemnere uerbis,  
Non etiam Templo sceleratus parcit, & ipsis,  
Quas colimus cuncti sacris solennibus aras.  
Quoq; magis credas, audiimus ista loquentem:  
Hæc loca, Iudæi, subuertet uictor Iesus  
Urbe Nazaræa regali stemmate cretus,  
Mutabitq; uiris mores, ritumq; sacrorum,  
Quem stutuens Moyses iussit seruare minores:  
Hæc abolens tollet Christus, noua iuraq; ponet,  
Hæc uestri ut maneant in religione nepotes:  
Talia dicentis nostras peruenit ad aures,  
Impia uox, nulli meritò celanda piorum.  
Hæc ubi composito testes sermone referrent,  
Aspexere uirum cuncti, totusq; Senatus  
Lumina conuertit Stephanum commotus in unum:  
Ecce uident faciem sacro fulgore micantem,  
Angelici quales manifesto numine uultus,  
Deueniunt

EVANGELIA

Deueniunt cælo, sese prebentq; uideos:  
 Sic oculos sic ille genas, sic ore ferebat,  
 Corporeq; in toto nil iam mortale tenebat,  
 Talem namq; Deus membris afflarat honorem.  
 Cap. 7. At sacri Præsul templi summusq; Sacerdos  
 Exurgens solio sic dicere cœpit ab alto:  
 Hæcine uerba uiri certo sermone refertis?  
 Tuq; reus sceleris quæ iam responsa remittis?  
 Hic Stephanus linguam claro sermone resoluens  
 Protulit hæc turbam populi conuersus ad omnem:  
 Vos populi Patres, itidem fratresq; benigni,  
 Quos tenet ob nostram plenissima concio causam,  
 Auscultate parum nostræ responsa loquere,  
 Quæ faciam paucis, nec uos per multa morabor:  
 Se Deus exhibuit manifesta in luce uidendum,  
 Quem generis nostri patrem profitemur, Abrahæ,  
 Quando morabatur Chaldæa in gente, priusquam  
 Hospitio Charram Syriasq; accederet oras.  
 Hic illum dominus tali sermone uocauit:  
 Linque domos patrias, gentiq; excede tuorum,  
 Ut subeas terram, quam commonstrabo sequenti  
 Paruit imperio Domini grandæuus Abraham,  
 Et patrios fines Chaldæaq; rura relinquens  
 Aethere monstratas Charræ concessit in oras

Coniuge

### FESTIVALIA.

Coniuge cum chara natoq; ex fratre profectus,  
Grandeuumq; patrem secum traduxit. at ille  
Mortuus ut uitam senio poscente reliquit,  
Continuò hunc natus terram deuexit in illam,  
Quam nunc Iudæa geniti de stirpe tenetis.  
Istius at nondum partem telluris habebat,  
In qua parua pedis uestigia ponere posset.  
Verùm promisit dominus se cuncta daturum  
Illi, qua regio fines extenderet omnes,  
Ipsius ut stirpi tellus possessa maneret,  
Quamuis sciret adhuc nullum de coniuge natum.  
Tunc igitur dominus uerbis sic dixit ad illum:  
Cuncta quidē euenient tibi quæ promissimus: & me  
Dictorum immemorem non ulla redarguet ætas.  
Sed prius expediam, quæ fata nepotibus instent:  
Ecce tuum semen peregrinis uiuet in oris,  
Seruitiumq; feret sceleratæ gentis iniquum:  
Ista quater centum pressura manebit in annos,  
Donec ego populum, cui sunt seruire coacti,  
Iudicio plectam iusto malefacta rependens.  
Inde tui exhibunt indigna à gente nepotes,  
Quos ego per medias traducam præuius undas,  
Seruibuntq; mihi terra, quam pactus, in illa.  
Talia cùm dominus fido dixisset Abrahæ,

N Addidit

## EVANGELIA

Addidit ecce nouum firmato foedere signum,  
Præcipiens scindi rigido præputia saxo:  
Iussit & hunc morem cunctos seruare minoret,  
Iamq; senex centum uitæ compleuerat annos,  
Cum sterili natum Sarai de coniuge tandem  
Cepit & Isacum risus de nomine dixit.  
Lux octaua aderat, mox circumciditur infans:  
Sanguinolenta cadunt sacro præputia cultro.  
At puer Isacus ualidos ut creuit in annos,  
Coniuge Rebecca natum suscepit Iacob,  
Quem circumcidens Domino sacravit: & ille  
Postmodò bis senis secuit genitalia natis  
Tegmina, quos nostræ Patriarchas gentis habemus.  
Hi uerò inuidia succensi fratris Ioseph,  
Infantem Phariæ ausi sunt uendere in oras:  
Nec puduit nummos charo præponere fratri,  
Qui redimendus erat precio deperditum omni:  
Adfuit huic uerum Dominus Memphitide terræ,  
Omnibus educens seruatum casibus illum.  
Quin etiam ad summos Iuuenē perduxit honores  
Efficiens Regi charum, rectisq; ualentem  
Consilijs, quæ sunt per iniquos cognita casus,  
Somnia tum regis sensu detecta latenti.  
Ipse uiro Regni Pharaonis commisit habenas,

Aegyp

FESTIVALIA.

Aegyptiq; ducem posuit, rebusq; gerendis  
 Imperij summis toti praefecit & aula.  
 Praemia pro casto tam grandia corde recepit.  
 At praedura fames Nili peruenit in oras,  
 Et Chanae terram subiit, praesitq; dolentes:  
 Nec potuere patres Cererem conquirere nostri  
 Finibus e cunctis, frugum regnabat egestas  
 Undiq; seu terrae uicio, seu crimine caeli.  
 Audiit hic senior duris in rebus Iacob  
 Farra per Aegyptum uendi precioq; remitti.  
 Protinus ergo patres misit sua pignora nostros,  
 Diuite qui fruges Nili tellure referrent:  
 Addidit & pretium natis sumptusq; uiarum.  
 Illi abeunt secumq; citi frumenta reportant,  
 Fratre sed in pignus fidei Symeone relicto.  
 Cumq; illos rursus genitor misisset eodem,  
 Benniamin puerum preciosaq; dona ferentes.  
 Fratibus illachrymans sese patefecit Ioseph,  
 Natiuum celare magis nec uictus amorem  
 Sustinuit, blandisq; uiros complexus in ulnis  
 Ignouit culpam fraterni criminis omnem.  
 Tum genus & stirpem Pharaeo cognouit Ioseph,  
 Haecenus ignorans qua nam esset origine natus.  
 Sanguine nunc igitur chari letatur amici.



EVANGELIA

Ille autem seruos patrias transmittit in oras  
 Curribus instructos, & equis & pondera natis,  
 Qui charum adducant Chanæ tellure parentem  
 Illius & totam coniuncto sanguine stirpem.  
 Iamq; uenit senior uestitus tempora canis,  
 Atq; omnem secum sobolem pleno agmine ducit,  
 Matres atq; nurus, natos pariterq; nepotes,  
 Formosos pueros simul innuptasq; puellas,  
 Septuaginta animæ quorum cum quinq; fuerunt  
 Omnes Isacide lumbis egressa parentis  
 Pignora, conspectu quorum letatus Ioseph,  
 Grandæuum cupidis genitorem amplectitur ulnis  
 Leticia fundunt lachrymas natusq; paterq;  
 Et paria amborum demulcent gaudia mentes.  
 At postquam Israhel Pharias descendit in oras  
 Cum natis gregibusq; suis, Gosenide terra  
 Accepit sedem, pecori quæ commoda habendo  
 Leta per incuruas præbebat pabula ualles.  
 Nec deerant liquidi gelido cum flumine fontes  
 Arboreæq; comæ ramis fundentibus umbram.  
 Iamq; senex centum uitæ numerabat Iacob  
 Et septem coniunctos lustris bis quattuor annos  
 Atq; illum à decima iam septima uiderat æstas  
 Hospitio Aegypti tota cum stirpe manentem,

## FESTIVALIA.

Cum satur annorum, humani pertasus & aul  
Occidit, & uitam natorum liquit in ulnis  
Antè quibus sed fatidico benedixerat ore,  
Vnicuiq; suum pandens ex ordine fatum.  
Illius hinc etiam nati nostriq; parentes  
Funere sublatis Pharijs moriuntur in oris.  
Postera quos soboles collectis ossibus urna,  
Transtulit in Sichem peregrè, posuitq; sepulchro,  
Quod prius uxoris fato compulsus, Abraham  
Emerat à natis, precio uendentibus, Hemor,  
In quo post mortem positus requiesceret olim  
Coniuge cum chara, natisq; & gente nepotum.  
Et iam tempus erat post secula multa propinquum,  
Quo Deus impleret tandem, quæ pactus Abraha  
Credenti fuerat, iurans promissa daturum.  
Tum populus coepit prouentu crescere magno,  
Augeriq; modum supra Memphitidos oris,  
Ut uix terra pios caperet peregrina nepotes,  
Vinceret & natos numero gens aduena terra.  
En nouus exoritur iam post tria secula Princeps  
Fimibus Aegypti, qui regia sceptrum capessens  
Ignarus Pharonis erat, nec nomen Ioseph  
Nouerat, absimilis regum factusq; priorum  
Insidijs tentare genus tum deniq; nostrum

N 3 Cœpit.

EVANGELIA

Cœpit, & iniusto nostros onerare labore  
 Maiores, adigensq; dolis uim iunxit iniquam.  
 Ille etiam sæuus pueros prolemq; uirilem  
 Sanguinis Hebræi sub flumina mergere iussit,  
 Scilicet ut nati subita sic morte perirent,  
 Semina nec nostræ possent succrescere stirpis.  
 Talia conspexit Dominus, qui cuncta tuetur,  
 Indoluitq; suæ fieri dispendia gentis:  
 Et scelus iniusti statuit depellere Regis.  
 Nascitur Hebræo genitus de sanguine Moyses,  
 Qui formosus erat Domino gratissimus infans:  
 Cumq; domo patria nutritum tempore paruo  
 Tertia uidissent crescentis cornua Lunæ,  
 Non ausa ulterius charum celare puellum,  
 Fluminis exposuit ripa tristissima mater  
 Fiscella inclusum tereti, quam dextra parentis  
 Fecerat è scirpo, lentoq; bitumine circum  
 Clauserat, illabens ne se submitteret humor.  
 Vix erat expositus fluuij sub margine primo,  
 Cùm Pharaonis adest pulcherrima filia casu,  
 Expaciata domo Nili stagnantis ad undas.  
 Virginei coetus dominam comitantur euntem.  
 Excipit hæc ripa puerum, scirpoq; recluso  
 Educat infantem proprij sub nomine nati  
 Mater erat nutrix, cui nescia filia Regis

Tradit

## FESTIVALIA.

Tradidit inuentum, precioq; iniunxit alendum.  
Iamq; puer ualidos accreuerat auctus in annos,  
Cum didicit Leges, Aegyptia iuraq; coepit,  
Quidquid & illius nouit sapientia gentis,  
Quaslibet è summis hausit doctoribus artes:  
Ingenio nam promptus erat, cupidusq; sciendi,  
Inde potens factis euasit & ore disertus.  
Postea cum decimum quater accessisset ad annum,  
Instituit fratres genus Israhelis eundo  
Visere, namq; illis sese cognouerat ortum,  
Sedula crescenti quæ rettulit omnia mater,  
Expediens nomenq; suum, nomenq; parentis.  
Hic aliquem uidit malefacta iniusta ferentem  
Alterius, mediumq; uiris sese ingerit, atq;  
Vindicat insontem, uiolatoremq; trucidat  
Aegypto genitum, namq; Hebræus fuit alter:  
Hac ratione suos uoluit cognoscere fratres,  
Quod Deus officio illius dextraq; potenti  
Optatam populo coepisset ferre salutem.  
Sed non ignaras subierunt talia mentes.  
Altera namq; dies aderat, cum rursus ut antè,  
Repperit inter se binos contendere dictis.  
Protinus accedens, ueluti transactor, utrunq;  
Hortatur placide litem submittere paci.

N 4 Atq;

## EVANGELIA

Atq; ait: O socij fratres cum sitis eodem  
Stemmate prognati, cur sic contenditis: atq;  
Alterius quare sic nomina læditis alter?  
Siue hæc ex uerbis, siue est iniuria factis,  
Desinite à cepto, rursus concordia iungat,  
Quos mala distraxit fœdæ discordia rixæ.  
Talia dicentem de sese iniurius alter  
Reppulit, & uerbis contrà respondit amaris:  
Quis te constituit nobis uesane magistrum?  
Iudicium quis ferre tulit? posuitq; Tyrannum  
Me super atq; illum? num me quoq; perdere queri  
Immeritum, dextra feriens, Aegyptius ille  
Sicut heri cecidit te percussore peremptus  
Territus his dictis Moyses aufugit, & exul  
Madian in terram percussa mente recessit,  
Ignote factus iam cultor & aduena gentis.  
Obtulit hîc illi socerum fortuna benignum,  
Vxoremq; piam, binosq; è coniuge natos.  
Hinc ubi transierat iam quadragesimus annus,  
Angelus in Sinai deserto culmine montis  
Per medias flammæ rutili comparuit ignis,  
Incensoq; rubo tanquam nemus omne reluxit.  
Talia conspiciens Moyses miratur, & hæret  
Ambiguum, quid uisa uelint, aut talia signent.

Accedat

## FESTIVALIA.

Accedens igitur propius dum noscere tentat,  
Vox audita Dei sonuit dicentis ad illum:  
Quid mirare rubum rutileq; incendia flammæ?  
Ille ego sum Dominus, Patrum Deus atq; tuorum  
Thariadæ Isaciq; potens & fortis Iacob.  
Ille tremit toto percussus pectore, nec iam  
Audet inops animi uultus attollere sursum.  
Tunc iterum Dominus uocem sic rumpit ab alto:  
Exue summa pedum mox calceamenta tuorum:  
Nam locus hic sacer est, in quo uestigia ponis,  
Nec licet impuris cuiquam contingere plantis.  
Tu tamen attendas, quæ sit sententia nobis:  
Vidimus, & dudum cælo cognouimus alto,  
Quanta mei populi Pharijs uexatio terris,  
Et quibus Imperijs, quàm dura sorte prematur  
Gentibus à fœdis genus Israhele profectum:  
Illorum gemitus nostras ascendit in aures.  
Nunc igitur ueni summo miseratus Olympo,  
Auxilio ut fessos reuelem, finemq; malorum  
Imponam miseris & libertate reducam.  
Tu mihi promptus ades, mandataq; nostra capeffe:  
Nam te, non alium, facienda ad talia mittam.  
Ibis in Aegyptum peragens quæcunq; iubebo.  
Nec te parua tuæ moueat facundia lingue,

N S Nam

## EVANGELIA

Nam tibi subijciam nullo dicenda labore,  
Me populum duces casus præeunte per omnes.  
Hunc igitur Moysen, quem friuola turba negabat  
Obijciens: quis te posuit pro iudice nobis?  
Ipse Deus misit populo, uoluitq; potentem  
Esse redemptorem plebis de gente maligna,  
Propterea Synai sic illum in monte uocauit  
Angelica uirtute manus, quæ apparuit illi  
Visa per ardentis miranda cacumina syluæ.  
Ille igitur Moyses diuino numine missus,  
Finibus Aegypti populum traduxit euntem,  
Plurima diuersis peragens miracula signis  
Visa per Aegyptum, rubriq; per æquoris undas,  
Per deserta simul denis quater amplius annis.  
Hic est uaticinans populum qui dixit ad omnem,  
Quando dedit leges, diuinaq; iussa resoluit:  
Venturum Dominus uobis dabit ecce Prophetam,  
Fratribus è uestris, similemq; per omnia nostri.  
Hunc audire pio quondam debetis honore.  
Hic igitur Moyses cœtu qui uisus ab omni,  
Cuiq; in deserto fuit Angelus ore locutus,  
Monte super quando Synai comparuit illi,  
Qui patribus mandata tulit caelestia nostris.  
Hic est qui uerbum Domini uitale recepit

Nunciū

FESTIVALIA.

Nuncius ut ferret rutilo de uertice nobis,  
Non parere tamen uestri uoluere parentes  
Vocibus illius, sed eum pepulere rebelles,  
Pectora uertentes Aegyptia rursus ad arua.  
Talia dixerunt Aaroni quando Leuitæ:  
Fac alios operate Deos & Numina nobis  
Qui nos precedant, & cuncta per aspera ducant.  
Namq; quid acciderit Moysi nescimus, euntes  
Finibus Aegypti qui nos eduxerat antè,  
Totq; dies nunc solus abest, nec nuncia reddit,  
Forfitan haud ullo rediturus tempore nobis:  
Talia dicentes uitulum fecere decorum  
Ex auro fulgente sibi, ductaq; chorea  
Circuire nouam statuam, plaususq; dedere.  
Quin etiam obtulerunt idolis sacra receptis  
Gaudentes manuum per friuola signa suarum.  
Talibus offensus Dominus se auertit ab illis,  
Pectoris & stulti sensu permisit agendos,  
Militiam ut cæli colerent, stellisq; litarent.  
Enthea ceu referunt Thekoitis uerba Propheta,  
Talia qui cecinit diuino percitus Oestro:  
Vos domus Israhel Domino contraria semper  
Et factis ingrata bonis assueta malignis,  
Nunquid in his annis loca per deserta uagantes

Vlla



EVANGELIA

Vlla quater denis grati mihi sacra tulistis?  
 Pinguia mactantes festas holocausta per aras,  
 Non'ne mihi nullos unquam exhibuistis honores?  
 Tempore tam longo, quo uos uia tantatenebat,  
 Scilicet Ammonij potiùs tentoria Molech  
 Sydere cum Remphan uos suscepisse iuuabat,  
 Et prior est uobis natorum sanguine cultus.  
 Nec puduit uanas, manuum fragmenta, figuras  
 Quæ nil mentis habent, diuino extollere cultu  
 Meq; Deum uerum neglecto spernere honore.  
 Vos igitur rursus iustam compulsus ad iram  
 Abijciam longè celsam Babylonis ad urbem,  
 Ibitis ulterius capti, pœnamq; luetis.

Hæc idola dabunt pro uestro præmia cultu,  
 DE ARCA Imprimis meminisse libet, quòd fœderis Arcam  
 Cum Domino semper nostri tenuere parentes,  
 Quando ferebantur deserta per inuia, sicut  
 Ipse Deus Moyse præceperat antè locutus,  
 Illius ut similem faceret, quam uiderat, Arcam  
 Angelicosq; super uultus aduersa tuentes.  
 Hanc ubi facta fuit, nostri accepere parentes  
 Seruantes positam diuino semper honore,  
 Hic ubi Sanctorum stant Tabernacula Sancto,  
 Hinc illam Iosua læti cum Principe secum

in illo

FESTIVALIA.

Intulerunt terris, quas ethnica turba tenebat,  
Quam Deus antiquis è sedibus expulit ante  
Nostrorum faciem, uictriciaq; ora parentum:  
Sic nobis terræ possessio contigit eius,  
Quam Deus è celo dudum promisit Abrahæ.  
Hanc tenuere igitur nostri tot sæcula patres  
Insignem precio sacris & honoribus Arcam,  
Donec ad Isaidem tempus Dauida cucurrit,  
Gratia quem Domini summo est complexa fauore,  
Quàm primum fuerat Rex de pastore creatus,  
Pro baculo sceptrum capiens, pro fronde coronã.  
Hic igitur Dominum noctesq; diesq; rogabat,  
Ut fundare Deo tentoria posset Iacob.  
Verùm hoc est illi diuina uoce negatum,  
Istaq; concessit Salomoni gloria nato,  
Qui Domino templum statuit, sedemq; parauit  
Sumptibus immensis, sacram qua poneret Arcam.  
Absoluitq; domum precio & simul arte decoram.  
At non templa Deus, manuum que facta labore  
Incolit omnipotens, & que domus occupet illum?  
Cuius in immensum patet infinita potestas.  
Ipse uelut sacro Iesaiæ in carmine dicit:  
Sella mihi cælum, pedibus subiectaq; tellus.  
Aedificare domum quam uos mihi queritis ergo?

Ant

EVANGELIA

Aut ubi ponetis sedem, qua nempe quiescam?  
 An mea non isthæc dudum manus omnia fecit?  
 O dura ceruice uiri, semperq; rebelles  
 Circumcisa quibus nullo sunt corda timore,  
 Et nunquam patulæ rectis sermonibus aures.  
 Siccine semper habet Domini uos Spiritus hostis?  
 Siccine completis uestrorum facta parentum?  
 Dicite, quos illi rabida non mente Prophetas  
 Demisere neci, qui nuncia sacra ferebant,  
 Postmodò uenturum coeli de culmine Iustum,  
 Iusticiæ æternæ autorem Dominumq; salutis.  
 Scilicet illius uos, proditione nephanda  
 Nunc occisores, homicidaq; turba fuistis.  
 Et nos illius uerbum nomenq; fatentes  
 Nunc etiam odistis, uestro nec meta furori  
 Vlla uenit, tanquam foret hoc peccasse minutum  
 Aduersus Dominum summi Natumq; parentis.  
 Vos equidem Legem summo accepistis Olympo,  
 Angelicis latam manibus cæliq; ministris,  
 Sed non ullus apex uobis seruatus in illa  
 Atq; rei scelerum partem peccastis in omnem.  
 Talia dicentem iamdudum lumine toruo  
 Iudæi aspiciunt Stephanum, pleniq; doloris  
 Concipiunt seueras irarum in pectore flammæ.

INCREPA  
 TIO.

CATAS  
 trophe.

Intima

## FESTIVALIA.

Intima namq; uiri rumpunt præcordia uoces,  
Pectora stridenti ceu uulnere læsa secantes,  
Et iam collisis crepitantes dentibus illi,  
Non celare queunt manifesti signa furoris.  
Exitium uni omnes manibus uerbisq; minantur.  
Ille autem sacro plenus præcordia flatu,  
Sustulit erectos ad cælum & sydera uultus,  
Diuinæ cernens ubi Maiestatis honorem,  
Ad patris æterni dextram conspexit Iesum,  
Protinus incipiens, populum sic dixit ad omnem:  
En uideo celos diuinæ lucis apertos,  
Astantemq; Patri, quem nos profitemur, Iesum,  
Huic igitur quid adhuc insania uestra repugnat?  
Talia dicentem magno clamore petebant  
Auribus oclusis, ne uox ingrata subiret.  
Iamq; ruunt omnes, Shephanumq; feruntur in unū:  
Truditur infœlix, totam trahiturq; per urbem,  
Nec mora nec requies, donec crescente tumultu  
Mœnibus expellant, hostiliq; agmine cingant,  
Hic illum rigida saxorum grandine pulsum  
Obruere incipiunt, uestesq; è corpore tractas  
Ante pedes iuuenis ponunt, cui nomina Sauli.  
Iamq; operi intenti lapides tellure reuulsos  
Vndiq; conijciunt, crebris sonat ictibus ær.

VISIO  
Stephani.

Sicut

## EVANGELIA

“ Sicut ubi descendit hyems crepitante per auras  
“ Grandine, deiciens segetes & culmina pulsans,  
“ Turbine corripitur cælum, strepituq; sonanti  
“ Ventus agit nymbum, deiectaq; grana resultant;  
Non aliter iam saxa uolant, feriuntq; cadentem  
Densa seges lapidum collisas uerberat auras.  
Ille sed ad cælum palmas & lumina tendens,  
Talibus orauit Dominum iam morte propinqua:  
Suscipe defessam hanc animam Saluator Iesu,  
“ Quam tibi commendoq; tuo pro nomine fundo.  
“ Ingruit ecce nouus saxorum uerbere nymbus,  
Ingemimantq; ictus repetitis ictibus hostes.  
Non ualet ille magis pedibus consistere rectis,  
Deprimiturq; cadens in terram pondere duro,  
Tum genibus flexis clamauit uoce sonanti:  
Hostibus hanc ignosce meis, pater optime, culpam  
Nec statuisse uelis meritam pro crimine poenam.  
Hæc ubi fatus erat, Christo minuente labores,  
Occubit, placidaq; cadens in morte quieuit.  
Frigidulo tanquam deictus lumina somno.  
IN DIE S. IOANNIS APOSTOLI, ET EVANGELISTAE,  
EVANGELIUM IOANNIS XXI. CAP.  
ARGUMENTVM.  
Dum de Discipulo Petrus, quem Christus amabat,  
Sollicitus quærit, se iubet ille sequi.

Disci

FESTIVALIA.



**D**iscipulis cum se iam ter monstrasset Iesus,  
 Cepissentq; Dapes captis de piscibus una,  
 Proinus ad Petrum sese conuertit, & inquit:  
 Dic age Petre Symon nomen sortite Ioanna,  
 Diligis ex animo nunc me magis omnibus istis?  
 Ille refert: Equidem nosti uenerande Magister,  
 Pectoris ingenuo quod te complectar amore.  
 Subiicit hic Dominus: Si talia uera profaris,  
 Pasce meos igitur, quos iam tibi tradimus, agnos.  
 Hinc iterum Christus coepit rogitare: Ioanna  
 Dicte Symon, uero num me ueneraris amore?  
 Respondet Petrus: Scis hoc tamen ipse Magister,  
 Quod te totus amem, nec falso id pectore dicam.  
 Pasce meas quapropter oues, subiecit Iesus.  
 Mox rursus incipiens sic tertia uerba profatur:  
 Petre refer, uero num sis mihi iunctus amore?

○ Reddidit

## EVANGELIA

Reddidit hæc tristem toties repetita Symonem  
Questio, de illius tanquam dubitaret amore,  
Propterea ducens suspiria talibus inquit:  
Quid me Christe rogas, hominū qui pectora nollit  
Omnia qui cernis, nec fas te fallere cuiquam,  
Ipse tenes quanto tibi sim deuinctus amore,  
Et quo te uenerer studio, pietate, fideq̃.  
Pascere meos agnos igitur, respondit iesus.  
Hæc equidem tibi uera loquar, cum iunior esses,  
Ipse tibi placito cingebas ilia ritu,  
Quoq̃; animi ferret sententia, liber abibas.  
At senior factus non tantum iuris habebis,  
Sed cogere tuas alijs extendere palmas.  
Hic aliquis longo tua corpora fune ligabit,  
Inuitumq̃; trahet, quò non tibi prona uoluntas.  
Ista loquens Dominus uoluit monstrare Symoni,  
Quo fato moriturus erat pro nomine Christi,  
Glorificans Domini constanti pectore uerbum.  
Hæc ubi factus erat, paulum sermone quiescens  
Mox iterum cœpit referens hæc uerba Symoni  
Si mihi quem narras, uerum testaris amorem,  
Huc ades, et casus me Petre sequare per omnes.  
Ille retro uersus conspexit pone sequentem  
Discipulum, ante alios charū quē Christus habebat

Quiq̃;

## FESTIVALIA.

Quiq; super pectus Domini requieuerat antè,  
Vltima paschalis caperent cùm ferula cane,  
Inter eos quærens Domini quis proditor esset.  
Hoc igitur uiso Petrus: uenerande Magister  
Quid uerò hic faciet, nobis qui proximus? inquit.  
Rettulit hic illi Dominus: Si Petre manere  
Hunc ego fortè uelim, donec simul ipse reuertar,  
Quid te sollicitat res hæc, uel cura fatigat?  
Tu quod iussus agas, & me sine lite sequaris.  
Exijt hic sermo fratres dispersus in omnes,  
Discipulum fati subductum legibus istum  
Tristia non unquàm sensurum uulnera mortis,  
Sed non ista fuit Christi sententia: tantùm  
Si redeã donec iubeam hunc remanere, quid ad te?  
Dixerat: hoc falso sensu rapuere sodales,  
Immunis tanquam remaneret morte Ioannes.  
Atq; hic Discipulus, de quo iam diximus, ille est  
Talia testificans uera qui uoce fatetur,  
Istaq; mandauit scriptis, ut postera quondam  
Turba legat, doceatq; suos meminisse nepotes.  
Nouimus hunc isto testari uera libello,  
Vnde piam laudem fidei nomenq; meretur.

IN DIE SANCTORVM PVERORVM INNOCENTVM,  
EVANGELIUM MATTH. CAP. II.

O 2 ARGV.



## EVANGELIA

### ARGUMENTVM.

Heu miseri infantes pereunt Herodis ob iram,  
Eripit his Natum sed Deus ipse suum.

**C**um perfecta Magi iam post sua munera, rursus  
In patrios fines Solyma de gente redissent.  
Prævia conuerso quos lumine stella reduxit:  
Angelus ecce Dei per somnum apparet Ioseph.  
Auditusque fuit tales depromere uoces:  
Surge celer, puerumque ferens matremque pudicam,  
Anfuge Niliacas, sic re cogente, sub oras,  
Exul ibi, iubeam dum te rediisse, manebis.  
Nam ferus Herodes occulta fraude propinquat,  
Ut puerum querat crudeli morte necandum.  
Surge igitur sæuique dolis excede Tyranni.  
Talibus auditis thalamo se fidus Ioseph  
Erigit, & puerum capiens, puerique parentem,  
Per medias noctis tenebras Bethlemide parua  
Egreditur, Nilique nouas concedit in oras.  
“ Accipit hospitio Dominum Memphitica tellus  
“ Inscia, quæ quondam genus Israelis habebat,  
“ Vnde Dei uenturus erat post secula Natus:  
“ Præscia sic casus uoluebant fata futuros.  
Hic igitur mansit cum coniuge fidus Ioseph,  
Dum caderet saeus sublatum morte Tyrannus.

## FESTIVALIA.

Sic impleta fuit sacri prædictio Vatis,  
Omnipotens cuius Pater hæc est ore locutus:  
Aegypti Natum reducem tellure uocaui.  
At postquam Herodes sensit se uoce Magorum  
Deceptum, nec eos ad regia tecta reuerti,  
Protinus ingentes irarum in pectore flammæ  
Concipit, in pueroq; ulcisci talia facta  
Cogitat inuisum quem nomine Regis habebat.  
Mittitur extemplo crudelis ab arce satellites  
Plurimus, in paruaq; ruit Betlemidos urbem,  
Omnibus ense latus cinctum est, armataq; ferro  
Dextera, qua peragunt sæui mandata Tyranni,  
Vndiq; & infantes crudeli morte trucidant,  
Quotquot ibi bimos, aut offendere minores.  
Tum uero exoritur longè tristissima cædes  
Aetatis teneræ quamuis ea criminis expers  
Nondum aliquam uitæ potuit committere culpam.  
Interit infœlix primo sub flore iuuentus:  
Flos uelut in campis duro succisus aratro.  
Heu miseri infantes raptantur ab ubere matris,  
Corpora transadigit quorum trepidantia mucro.  
Quin etiam intereunt ipsorum ante ora parētum:  
Nec licitum est cuiquam sæuis obsistere factis,  
Omnia namq; tenet crudelis limina miles

○ § Agmine

## EVANGELIA

Agmine condense nulli mutire potestas.  
Iamq; sonat clamor matrum, gemitusq; cadentium  
Mœnia per, totasq; domos, cunctasq; plateas,  
Impius exquirat penetrantia tecta satellites,  
Extrahit & miseros diro clamore puellos:  
Insequitur genitrix precibus precioq; fatigans  
Immanes animos uerum non parcitur ulli,  
Plusq; ualent Regis crudelia iussa Tyranni,  
Quam natiuus amor sobolis, pietas ue parentum,  
Nullaq; barbaricas flectit miseratio mentes.  
Martia turba ruens tota bacchatur in urbe,  
Crimibus arripiunt alios, medioq; secantes  
Corpore dilaniant, alijs abscindere gaudent  
Brachia correptos pedibusq; per aëra mittunt:  
Ceulapidem iactat Balearica funda rotatum.  
Occidit innocuae spes & decus omne iuuentæ,  
Sanguineiq; fluunt passim per compitarii,  
Corpora cæsa iacent, & adhuc in uulnere palpant  
Semineces membrorum artus: quis talia cernens  
Temperet à lachrymicis facies tristissima rerum.  
Nec misera tantum seuitur in urbe nephandis  
Militibus, circum positis in finibus errant  
Vndiq; & infantes rapiunt, raptosq; trucidant:  
Pars in frustra secant, gladijsq; trementia figunt  
Corpo

## FESTIVALIA.

Corpora: pars medios lacerāt, & brachia truncāt,  
Vulnere sic intra muros seuitur, & extra.  
Talia mandarāt fieri Rex impius, ira  
Percitus ob natum Iudæo sanguine Regem,  
Perdere quem solum conatur in agmine tanto,  
Vnum nec dubitat multorum in morte perire.  
Sed nihil hoc mirum, proprijs qui parcere natū  
Noluit, externæ quid parceret ille iuuentæ?  
Hoc impleta modo Ieremiæ uerba Prophætæ  
Euentus habuere suos, qui talia dicit:  
Montibus in Rhama sonuit uox plena doloris.  
Et lachrymæ, & gemitus, muliebres atq; ululatus,  
Funera nam Rachaël natorum mœsta suorum  
Plangit, & assiduas iterat gemebunda querelas.  
Vlla nec admittit tanti solatia luctus,  
Quod perijsse uidet miseros, nec posse reduci.  
Ast ubi crudelis subijsset fata Tyrannus  
Demissus Stygias miseranda morte sub undas,  
Ecce iterum in somnis grandæuo apparet Ioseph  
Angelus, Aegypti qui manserat exul in oris  
Hactenus & monitis exciuit talibus ipsum:  
Surge iterum, puerumq; sua cum matre reducens  
In terram redeas patriam, quia fata tulerunt  
Illos, qui Domini querebant perdere Natum,

EVANGELIA

Et tamen incolumis mansit, pereuntibus illis.  
 Protinus exurgit senior, somnoq; leuatus  
 Accipit infantem tenerum, matremq; Mariam,  
 Mox iter ingressus post tempora certa dierum  
 Peruenit in terram Israhel ueteresq; penates,  
 Vnde profectus erat pridem tristissimus exul.  
 Hic uerò Archelaum Iudæa in gente Tyrannum  
 Audit ubi regnare sui post fata parentis,  
 Cura recens animum subiit, metuensq; pericli  
 Horrui in patriam tali sub rege reuerti,  
 Ne ueteres iras uitataq; damna nouaret.  
 Ergo iterum diuina uiro mandata feruntur  
 Per somnum, quibus auditis Galilæa subiuit  
 Mœnia defessus, notaq; in gente resedit,  
 Antiquam repetens Nazareï nominis urbem,  
 Grata quies fuit ista seni post longa uiarum  
 Tedia, perpeffosq; aliena in gente labores.  
 Atq; hæc fata quidem, quò complerentur abunde,  
 De Christo ueteres quæ concinuere Propheta:  
 Sedibus à patrijs Nazareï nomen habebit.  
 INDIE CONVERSIONIS PAULI APOSTOLI  
 EVANGELIUM MATTH. CAP. XIX  
 ARGUMENTUM.  
 Præmia Discipulis promittit maxima Christus,  
 Ipsum præ mundo quòd uolere sequi.

Pluri

FESTIVALIA.



**P**lurima de cæli regno cùm uerba locutus  
 Christus erat, dicens citiùs transire Camelum  
 Posse foramen acus, quàm sit qui diues Olympum:  
 Difficilem sic esse uiam, quæ ad sydera ducat.  
 Obstupuere rudes ad talia dicta ministri,  
 Anxius & propriae cepit quisq; esse salutis.  
 Incipiens igitur cunctorum nomine Petrus  
 Rettulit ad charum quærens hæc uerba magistrū:  
 Aspice per totum nos cuncta reliquimus orbem,  
 Vnanimiq; sumus studio te Christe secuti:  
 Qualia pro tanto sed præmia reddis amores  
 Respondit Dominus: Cæli per sydera iuro,  
 Supremum testorq; patrem, qui fallere nescit,  
 Præmia uos tanto pro munere digna manebunt,  
 Me quicumq; estis tam prompta mente secuti:  
 Hinc ego polliceor, uenturi tempore sæcli,

O S Quando

## EVANGELIA

Quando hominis Natus solio residebit in alto,  
Maiestate potens, & summo clarus honore,  
Vos quoq; bis senis dabitur considerare sellis:  
Tunc ut iudicium super Israhele feratis,  
Consentes populum duodeni stemmatis omnes,  
At quicumq; domum linquit, fratresq;, sororesq;,  
Aut cū matre patrē, aut dulces cum coniuge natus,  
Deserit & campos faciles, uel quidquid habebat  
Nomine pro nostro, soli constanter adherens,  
Centupla percipiet foelici præmia fructu,  
Aeternæq; hæres capiet patrimonia uite.  
Hoc tamen imprimis, iterumq; iterumq; monebo,  
Qui modò sunt primi, tunc turba nouissima fient.  
Vltima queq; prius fuerat pars prima manebit.  
Foelix ad finem bona qui concessa tenebit.

HISTORIA CONVERSIONIS PAULI APOSTOLI,

Ex Actorum Capite. IX.

ARGUMENTVM.

Sternitur in terram cælesti fulmine Saulus.

Vasq; fit electum Paulus ab hoste Dei.

**S**Aulus adhuc spirans animo crudelia diro  
Vincla mimabatur, mortemq; infestus acerbam  
Discipulis uero Christum profitentibus ore.  
Namq; uirum zelus Legis stimulabat auita,

Atq;

FESTIVALIA.

Atq; Deo gratam se rem præstare putabat,  
Si quocunq; nouam depelleret obice sectam  
Talia dum cæco meditans in pectore uoluit,  
Pontificem accessit, cui maxima cura sacrorum,  
Quem penes imperium templi & custodia Legis.  
Hunc petit ad claram sibi scripta ferenda Damascū  
Apparet ad Legis proceres primosq; Scholarum,  
Ut quoscunq; nouæ corruptos dogmate sectæ  
Inuenisse sibi sexus utriusq; daretur,  
Captiuos liceat Solymam perducere in urbem  
Accipiant pœnas ubi sprete Legis atroces.  
Principijs obstandum etenim, scelerata priusquam  
Doctrina inualeat, uireiq; acquirat eundo.  
Iamq; uia Solyma digressus ab urbe tenebat,  
Et prope contigerat uicine tecta Damasci:  
Quantum funda potest lapidem ter mittere iactū,  
Cum noua lux illum cælo circumdedit alto,  
Insonuit polus uiolento fulminis ictu.  
Terra tremit subito cæli concussa fragore,  
Prosternuntur equi magno terrore cadentes,  
Deiciuntq; uiros, primo cadit agmine Saulus  
Exanimis, tante dubius que causa ruine,  
Utq; solo iacuit, uocem cognouit ab alto  
Aethere terribilem tali clamore sonantem:

Quid



EVANGELIA

Quid me persequeris tam diro Saule furore?  
 Ille qui es Domine ô liceat cognoscere? dixit.  
 Redditur è caelo: sum Rex ego Christus Iesus,  
 Quem tua persequitur tanto Vesania motu,  
 Cuius & affectas Solymis excindere nomen,  
 Sed nihil efficies, & rem moliris inanem.  
 Crede mihi, durum tibi erit, si pergere tendis,  
 Aduersus stimulum fragiles impingere calces,  
 Vulnera non illi facies, tua corpora ledes,  
 Atq; pedem referes insano claudus ab ictu.  
 Desine, nec contra superos temerarius ito  
 Si sapias, atq; Deo mortalis cedere discas.  
 Ille tremens pauido uix talia pectore fatur:  
 Dic mihi quid faciam Deus ô, tua iussa capeffam!  
 Vox iterum caelo sonuit responsa remittens:  
 Surge celer, tectisq; simul succede Damasci,  
 Hic tibi dicetur, fieri quid oporteat ultra.  
 Obsupuere uiri, comites quos Saulus habebat,  
 Stant rerum ignari, uocem nam quilibet haurit  
 Ipsius, at nullum cernunt responsa ferentem,  
 Nec fragor unde Poli ueniat, cognoscere possunt,  
 Vox licet attonitas subeat caelestis in aures.  
 Ad sese ut redijt reuocato pectore Saulus,  
 Surgit humo manibus sociorum erectus in auras,

## FESTIVALIA.

Et quamuis oculos aperit, non conspicit illum,  
Lucis enim Dominus percusso dempserat usum.  
Ducitur à socijs uicinam cæcus in urbem,  
Hospicioq; manens triduum decumbit, & ægram  
Lumine captus agit magno discrimine uitam,  
Corpora nec dapibus reficit, nec guttura potu,  
Nec fruitur placido nocturni munere somni,  
Tristia sed tantum lachrymis suspiria miscet.  
Discipulus uerò degebat in urbe Damasci.  
Addictus Christo, nomen fuit huic Ananias,  
Visio cui clara obueniens sub nocte silenti  
A Domino tales audita est reddere uoces:  
Euigila uocemq; Dei capias Anania.  
Ille refert: adsum, quid me Pater alme requiris?  
Respondet Dominus: Cùm lux erit orta diei,  
Surge thoro, uicumq; petas cognomine rectum,  
Inq; domo Iudæ peregrinum quærito Saulum  
Nomine Tharsensem, qui dum deuotus adorât.  
Ecce uirum uidit uenientem intrare Ananiam,  
Impositis cæco manibus qui lumina reddat.  
Hæc ut perficias, mandat tibi Rector olympi,  
Vade igitur prompte, cælestia per fice iussa.  
Reddidit hîc dicens Ananias talia rursum:  
Quid me, summe Patres, hominẽ trāsmittis ad Iesum?

De

## EVANGELIA

De quo multa prius cognouimus impia facta,  
Qualibus ille tuos Solyma uexarit in urbe  
Supplicijs Sanctos, miseris quæ uincla pararit.  
Et nunc missus adest pharisæe nomine Secte,  
Estq; uiro iussu procerum commissa potestas,  
Ut quoscunq; tuum nomen per uota uocantes  
Repperit, inuadat, uinclisq; coherceat arctis,  
Captiuosq; trahens Solymam traducat in urbem,  
Mortis ubi poenas capiant ex Lege nefandas.  
Hunc ne uirum supreme Parens me cogis adire:  
Talia conantem, nobisq; extrema minantem,  
Te qui Christe Deum colimus, nomenq; fatemur.  
Respondit Dominus: Non hæc tua pectora turbat,  
Vade sed intrepidus, mandataq; nostra capesse.  
Quem sic namq; uirum pavidus cunctaris adire,  
Vas erit electum nobis, fideiq; minister,  
Qui mea iussa ferens populos uulgabit in omnes,  
Nostraq; per multas extendet nomina gentes:  
Non illum ante duces mundi regnumq; tribunal  
Talia de nobis præconia ferre pudebit,  
Nostraq; lessæe proponere dogmata plebi.  
Aspice qualis erit, quantum mutatus ab illo,  
Qui uenit ut nostris imponat uincla, Saulo:  
Hostis ut aduenit, rediens sic noster abibit,

FESTIVALIA.

Nec tunc Saulus erit, sed Pauli nomen habebit,  
Et nouus exibat gentes iam Doctor in omnes.  
Huic ego monstrabo cunctos tamen ante labores,  
Qualia passurus nostro pro nomine, quantis  
Excipiendus erit mundo uexante periculis,  
Ut quoque morte sua Christum testetur, & inde  
Aeternam accipiat caelesti in sede Coronam.  
Hæc ubi factus erat Dominus dilapsa recessit  
Visio, tum somnusque Ananiam noxque reliquit.  
Et iam clara dies exorto Sole nitebat,  
Exiit ille domo, Iudæque ingressus in ædes  
Conuenit amisso recubantem lumine Saulum.  
Non uidet ille uirum, sed uox dicentis ad aures  
Peruenit infirmas, & spe solatur amica.  
Tum uero imposuitque manus & talia dixit:  
Saulè mihi in Christo charissime frater Iesu,  
Me dominus misit, qui se tibi nuper eunti  
Præbuit è cælo manifesta in luce uidentium,  
Quando uiam nostram faciebas missus ad urbem,  
Scilicet ut per nos oculorum luce recepta  
Clara iterum possis cæli conuexa tueri:  
Spiritus inuadatque tibi præcordia Sanctus,  
Qui te formet opus Domini monstretque futurum.  
Vix ea factus erat, squamæ cum desidis instar

EX

E V A N G E L I A

Ex oculis Sauli scabies immunda recessit,  
 Lumimbusq; uigor redijt, uisumq; recepit,  
 Iam primùm cernens quas sit deductus in adit,  
 Quoq; loco positus, quæ cæco ignota latebant.  
 Iamq; thoro surgens sacri baptismatis undam  
 Suscipit, & Christi nomen, quo lotus, adorat:  
 Inde cibam sumit tridui ieiunia soluens,  
 Atq; ita conualuit membris animoq; refectus,  
 Multa super Christo rogitans, & multa remittens.  
 Et iam Discipulis peruenit fama sub aures  
 Nuncia de Saulo, qui tunc simul urbe manebant.  
 Euasisse Dei uiolento ex hoste ministrum.  
 Protinus accedunt cupidi, fratremq; salutant  
 Lata mente nouum, seq; illi adiungere gaudent.  
 Ille refert casusq; suos, & fulmen Olympo  
 Demissum, uocemq; Dei super alta sonantem.  
 Mirantur uocem reliqui gestusq; loquentis,  
 Gratanturq; sibi talem cecidisse sodalem:  
 Totos ille dies pariter noctesq; profundas  
 His coniunctus agit, Christiq; accenditur igne  
 Vsq; magis, crescunt caelestia dona per illum.  
 Spiritus atq; uirum plena complectitur aura.  
 Iamq; dies abière aliquot remanente Damasci  
 Cùm socijs Paulo, qui iam firmatus abundè

Not

FESTIVALIA.

Non audire modò, sed Christum uoce fateri  
Incipit, & Domini Synagogis tradere uerbum,  
Testificans summi Natum Genitoris Iesum.  
Obstupuere uiri, quorum peruenit ad aures  
Res noua, mirantur mutato pectore Saulum,  
Taliaq; inter sese ultrò citroq; loquuntur:  
An non hïc Solyma uastabat nuper in urbe  
Quotquot erant Christo nomen caeleste uocantes,  
Atq; ideo huc uenit captiuos ducere secum,  
Ad summos templi proceres, Legisq; peritos.  
Cur nunc facta sequi contraria cernimus illum?  
Et cum Christicolis, quorum fuit hostis, agentem  
Tradere iamdudum reprobati Dogmata Christi?  
At uirtute Dei Paulus crescebat in horas,  
Iudeosq; uiros per mœnia tota Damasci,  
Ore refutabat ualido, Christumq; probabat  
Esse redemptorem caelesti semine natum.  
Hæc ubi iam multis uulgata est fama dictus,  
Et procerum turbæ populoq; innotuit omni,  
Consilium Iudæi meunt, & fraude latenti  
Tam malè mutatum querunt occidere Saulum.  
Ille sed insidias gentis cognouit iniquæ,  
Admonitusq; suos inter sibi cavit amicos,  
Publica iam uulgi studio consortia uitans.

P      Omni

## EVANGELIA

Omnibus & quanquam posita est custodia portu  
Obseruans Paulum noctesq; diesq; necandum,  
Attamen hunc socij caca sub nocte per altos  
Demittunt muros Amerina in corbe sedentem,  
Donec eum funis terra deponeret ima.  
Moenibus elapsus sic arma hostilia fugit,  
Crudelesq; animos spe deficiente fessit.

IN FESTO PURIFICATIONIS MARIAE

EVANGELIUM LUCAE II. CAP.

ARGUMENTVM,

Sistitur in Templo cum munere Legis Iesus,  
Quem capiens ulnis gaudet obire Symon.



**D**Ebita transferant sacri purgamina partu  
Impletiq; dies fuerant in Lege recepti,  
Cum puerum mater Solymam portauit in urbem  
More sue gentis Domino quò sisteret illum,  
Dicitur

FESTIVALIA.

Diuinae ueluti mandant Oracula Legis:  
Scilicet ut proles primùm de matre uirilìs  
Proueniens Domino mox sanctificata uocetur,  
Inq; domum sacram precio redimenda feratur.  
Hec ut perficeret prima cum prole Maria  
Ad templum uenit, nec non grandæuus Ioseph,  
Munera pro nato sacris consueta ferentes,  
Nempe duas aurum penna simulante columbas,  
Moseæ ueluti Legis mandata requirunt:  
Diues ouem mater, binas sed egenæ columbas  
Ut ferat in templum dono, capiatq; Sacerdos  
Igne cremans partem, partem pro crimine sumens.  
Ecce uir hic aderat cano uenerabilis æuo,  
Iustus amansq; Dei Symeon, qui pectore toto,  
Letam expectabat super Israhele salutem,  
Spiritus ac Domini præsens habitabat in illo,  
Huic responsa Deus dederat non uana petenti,  
Tristia non lethi subiturum uincla, priusquàm  
Vidisset Christum Domini semenq; salutis  
Promissum populo tot iam labentibus annis.  
Hic ubi de puero famam cognouit Iesu,  
Protinus in templum, sed non sine numine, uenit,  
Iamq; inducebant natum per sacra parentes  
Omnia diuinæ facientes debita Legi,

P 2 CUM



EVANGELIA

Cūm Symeon letis tenerum complexus in ulnis  
 Accepit, gratesq; Deum cum laude peregit,  
 Fauidico talem depromens gutture uocem:  
 Nunc seruum dimitte tuum pater optime rerum  
 Ut placida tandem moriens in pace quiescat,  
 Aedita ceu nobis quondam promissa dedisti,  
 Namq; oculi uidere mei, tetigere lacerti  
 Autorem nostræ, puerum causamq; salutis,  
 Venturum populos quem prouidus ante parasti,  
 Ut nitido cæcas illustret lumine gentes,  
 Plebis & Isacidae ueros instauret honores.  
 Talia mirantur Senioris uerba parentes  
 Ignari rerum pueri sortisq; futurae.  
 At Symeon rursus incipiens benedixit utriq;  
 Inde piæ Matri referens uentura canebat:  
 Ecce tuus Natus multorum causa ruinae  
 Tristis erit, multos facietq; resurgere contra.  
 His bona leta ferens, damna exitiosa sed istis.  
 Atq; erit in signum cui contradictio fiet.  
 Quin etiam gladius tibi cor penetrabit acutus,  
 Maternamq; animam crudeli uulnere laedet,  
 Abdita multorum sic pectora namq; patefcent,  
 Quæq; animis latuere diu, cernentur aperte,  
 Hæc ubi fatus erat Symeon sermone quieuit.

FESTIVALIA.  
IN FESTO MATTHIAE APOSTOLI.  
EVANGELIUM MATTH. IX.  
ARGUMENTVM.

Mira Dei bonitas, sua quod Myſteria magnis  
Occulit, & paruos talia noſſe facit.



Svblatis in calum oculis ſic dixit Ieſus:  
Te pater omnipotens celi, terræq; marisq;  
Glorifico, laudumq; tibi præconia reddo:  
Quòd tua prudentes mundi Myſteria ſemper  
Celaſti, paruisq; fauens noſcenda dediſti.  
Sic tibi complacitum pater eſt præponere magnis  
Parua, nec infirmas mundi contemnere partes.  
Eſt mihi cunctarum rerum commiſſa poteſtas  
A Patre caeſti, quas totus continet orbis,  
Imperium ſine fine dedit, Regemq; perennem  
Eſſe ſuum Natum uoluit, quem noſcere nemo

P 3 Quàm

## EVANGELIA

Quam Pater ipse potest, ne quisq̄ nosse parentis  
Filium atq; ualet, uerbo cuiq; ille reuelat.  
Huc agite ô duris onerati rebus adeste,  
Quos graue peccatum, mala uel quæcunq; fatigat.  
Vos ego suscipiens uera recreabo salute,  
Restituam uires ualidas, opib; iuuabo  
Aeternis, quas nulla potest abolere uetustas.  
Suscipitote iugum prompto modo pectore nostri,  
Atq; mei uerbi caelestia discite iussa.  
Namq; ego sum mitis, patiensq; in corde laborum  
Omnibus, atq; humilis, qui me submittere noui.  
Approperate igitur, nostro succedite regno,  
Sic animæ inuenient requiem & solatia uestra.  
Quippe iugum prædulce meū est, & lenè ferendum  
Quodq; onus impono nulla grauitate molestum.  
Hoc quicumq; feret, tandem sub fine laborum  
Sedibus æthereis grata statione quiescet.

HISTORIA ELECTIONIS MATTHIAE APOSTOLICA

Ex Actorum Capite I.

ARGUMENTVM.

Additus undenis Matthias sorte Ministris,

Illorum numerum iam facit esse parem.

**A**D patriū Christus cum iā rediisset Olympi  
Discipuliq; loco studijs concordibus uno  
Inte

## FESTIVALIA.

Intenti precibus noctesq; diesq; manerent,  
Ecce Symon medio surrexit in agmine Petrus  
Ad reliquos blando conuersus lumine fratres.  
Qui numero centum uiginti & fortè fuerunt,  
Ad quos sic placido cœpit sermone profari:  
Vos quicunq; uiri nostræ pietatis adestis  
Dilecti in Christo fratres fideiq; sodales,  
Huc adhibete animos & nostra attendite dicta,  
Impleri fuerat scripturæ uerba necesse,  
Olim quæ sacro Davidis ab ore locutus  
Spiritus infandi crimen prædixit Iudæ.  
Ille cooptatus quamuis in nostra fuisset  
Agmina, & Officij nomen partemq; teneret,  
Attamen insontem Dominum charumq; Magistræ  
Tradidit acceptis in tristia pignora nummis,  
Seq; ducem demens scelerato præbuit hosti,  
Qui manibus Christum cepit uiolentus iniquis.  
Ergo ubi triste nephas iam prodicione peregit,  
Et confecit agrum precio mercedis iniquo,  
Conscia mens sceleris trepidantem perpulit illum  
Arboris ut ramo sese suspenderet alto,  
Inferretq; manus propriæ per crimina uite.  
Tunc medius crepuit pallentia uiscera fundens,  
Viscera quæ coruis prædam canibusq; dederunt.

Oratio  
Petri A-  
postoli.

## EVANGELIA

Non ignota loquor, totam res ista per urbem  
Diulgata fuit facti rumore nefandi,  
Ipse etiam sortitus ager de sanguine nomen  
Emptus erat precio qui proditionis iniquo,  
Omnis adhuc hodie Iudæus Akeldama dicit.  
Sic etenim legitur Iessæi in carmine uatis:

**Psal. 69.** Vasta domus linquatur ei deserta, nec illam  
Incolat infausto deterritus omine quisquam.

**Psal. 109** Atq; alibi rursus: Succedat Episcopus alter  
Illius officio, qui tali indignus honore.  
Nunc igitur quoniam sic res & tempora poscunt  
Fratribus è cunctis una qui tempore toto  
Nobiscum Domino terris uiuente fuerunt,  
Et uidere Dei manifesto corpore natum,  
Post Baptisma sacrum, donec super alta receptus,  
Vnum de tanto numero statuamus oportet,  
Nemine qui nostrum duodeno compleat agmen,  
Testis & accedat Christi de morte reuersi.  
Talia ùm Petrus dixisset fratribus, omnes  
Assensere uiro tam digna & iusta loquenti,  
Nullus erat cui non sententia dicta placeret.  
Iamq; duos statuere uiros ex agmine tanto  
In medium lectos, quorum fuit alter Ioseph  
Nomine Barsabas, alio cognomine Iustus,

Aliter

FESTIVALIA.

Alter Matthias simili pietate refulgens.  
Protinus in cælum uersis cum lumine palmis  
Talibus incipiunt omnes uno ore precari:  
Omnipotens rerum genitor, qui pectora nosti  
Intima, qui sensus & corda latentia cernis,  
Nunc famulis ostende tuis, da noscere signo  
Què pater alme probes ad munera sancta uocādū,  
Qui tibi complaceat, tua quem diuina uoluntas  
Eligat, ut sortem nostri partemq; laboris  
Accipiat, falsiq; loco succedat Iudæ,  
Munere qui tanto crudelibus excidit ausis,  
Aeternæq; locum pœne damnatus adiuit.  
Hæc ubi communi fecere precamina uoto,  
Continuò sortem iactis misere lapillis,  
Lumine seruantes utri contingeret, illa  
Matthiam supra cecidit, quem fausta precati  
Omnia suscipiunt duodenum in parte ministrum,  
Munus Apostolicumq; uiro cum nomine tradunt.

Apostolorū pre-  
catio.

IN DIE ANNUNCIATIONIS MARIAE  
VIRGINIS,

EVANGELIUM LVCAE I. CAP.

ARGUMENTVM.

Angelus ad Mariam ueniens Legatus Olympo,  
Nunciat ut Natum sit paritura Dei.

P S Et

EVANGELIA



**E**T iam sextus erat cōcepto à pignore mensis  
 Elizabeth, celo cū nuncius Angelus alto  
 Venit ad intacta castissima tecta Mariæ,  
 Illi iussa ferens summi commissa parentis.  
 Vrbs antiqua iacet Galilæis Nazareth oris,  
 Parua quidē, sacris sed enim prædicta Prophetis,  
 Hic desponsa uiro Virgo cui nomen Ioseph  
 Stirpis Iesseæ tectis habitabat in arctis,  
 Nomine uicini solito dixere Mariam.  
 Angelus huc ueniens mox ingressus ad illam,  
 Atq; oleæ ramum prætendens talia dixit:  
 Salue Virgo decens summo dilecta parenti,  
 Gratia te domini plenis amplectitur ulnis,  
 Ipse Deus tecum, mulieres inter & omnes  
 Omnia te meritò benedictam secula dicent.  
 Talibus obticuit cælestis nuncius aule.

## FESTIVALIA.

Illā uidens Iuuenem gestuq; & uerba loquentis  
Obstupuit turbata animo, castumq; pudorem  
Emisit signata genas, nec soluere uocem  
Ausā fuit, tantū uoluebat talia secum:  
Qualem fert misera mihi nuncius ille salutem  
Virginis ille metum uultu præsensit ab ipso,  
Sustulit & uanum tali mox uoce pauorem:  
Ne metuas Virgo, quoniam tibi contigit ingens  
Gratia supremi ueniens bonitate Parentis,  
Hæc deferre tibi celo qui nuncia iussit.  
Aspice concipies sed non sine numine prolem,  
Et paries Natum, facies cui nomen Iesu,  
Magnus enim fiet, summi sobolesq; Parentis  
Vnica dicetur, factis mirandus & ore.  
Huic pater omnipotens sedem Davidis auitam  
Attribuet, supraq; domum regnabit Iacob,  
Imperium sine fine tenens, & cuncta gubernans,  
Illius æternos Regnum durabit in annos.  
Talia dicentem celi de sede Ministrum  
Audit ubi, contra sic rettulit anxia Virgo:  
Qua ratione precor fieri hæc in uirgine possunt  
Ipsa mihi quoniam salui sine labe pudoris  
Conscia non unquam tactus sum passa uiriles.  
Angelus excepit: Ne te res ista moretur,

Humano



## EVANGELIA

Humano non ista modo conceptio fiet,  
Sed uirtute Dei, rerum cui summa potestas  
Namq; superueniet celo te spiritus alto,  
Et patris æterni tibi uis instabit obumbrans.  
Conceptumq; feres cælesti semine Natum.  
Hinc sanctum quodcumq; tua nascetur ab aluo  
Semper erit, Natusq; Dei dicetur in æuum,  
Ut tamen ista magis credas, cognata probabit  
Elizabetha tibi, quæ corpore foeta senili  
Fert uterum tandem sterilis post tempora uite,  
Et natum paritura uiro prouectior instat.  
Iamq; agitur mensis grauidæ bis tertius illi,  
Publica quàm sterilem testatur fama tot annos.  
Sed nihil est, quod non ualeat diuina potestas,  
Nec res ulla Deo non perficiendâ manebit.  
Quo minus ipsa etiam dubites, quæcumq; locutus  
Euentura tibi, fies cum Virgine mater,  
Nomen utrunq; simul mira ratione tenebis.  
Hæc ubi fatus erat cælestis Nuncius aule,  
Iam firmata fide respondit talia Virgo:  
En ancilla Dei quamuis indignior adsum  
Cuncta mihi fiant, quæ nuncia uoce tulisti.  
Nec mora disceßit fulgenibus Angelus alis,  
Iam fidei plenam leto sub corde relinquens.

IN DIE

FESTIVALIA.

IN DIE MARCI EVANGELISTAE SEU  
COMMUNIVM PRECVM.

EVANGELIVM LVCAE XI.

ARGVMENTVM.

Orandi socijs formam praescribit Iesus,  
Et docet oranti cuncta petita dari.



**Q**uodam forte loco solus cum staret Iesus,  
Sustulit erectas cum gestu supplice palmas,  
Ad summum fundens ardentia vota Parentem:  
Nec gemitus aberant, guttaeque per ora fluentes,  
Mistaque deotus animi suspiria uerbis.  
Et iam desierat precibus de more peractis,  
Protinus accedens deuoto pectore quidam  
Discipulus tali compellat uoce Magistrum:  
Orandi formam nobis praescribe precamur  
Christe, uelut socios docuit Baptista Ioannes.

Respon-

## EVANGELIA

Oratio  
Domini-  
ca.

Respondit dominus: Cum fundere uota parentem  
Ad summum cupitis, tum talia dicite uerba:  
Summe parens qui tecta tenes sublimia celi,  
Effice diuinum quo sanctificetur in omni  
Orbe tuum nomen, uelut est super omnia sanctum  
Adueniant hominum generi caelestia regna.  
In terris etiam fiat tua sola uoluntas,  
Angelici tanquam parent ad iussa ministri.  
Hinc panem uitae miseris largire precamur  
Quotidie: Tum nostra pius peccata remittas,  
Debita nos alijs ceu cuncta remittimus ipsi.  
Nec Pater induci miseros patiaris ab hoste,  
Vexet ubi nostras curis tentatio mentes:  
Sed nos fida malo tua dextera liberet omni,  
Ut letis animis caelestia regna petamus.  
Hec ubi factus erat, porro sic coepit Iesus:  
Dicite quis uestrum, si forsitan haberet amicum,  
Adq; illum ueniens media sub nocte rogaret,  
Tres panes (dicens) rogo te uicine ministra  
Optime: Nam quidam peregre mihi uenit amicum  
Esuriens fessusq; uia, nec paupere tecto  
In promptu est aliquid, quod ei proponere possim  
Ille autem somno grauidus respondeat intus:  
Ne uicine mihi sera sis nocte molestus,

Offi

## FESTIVALIA.

Ostia clausa domus iam sunt, pueriq; quiescunt  
Vndiq; me circum, nec iam tibi surgere possum,  
Et dare quos panes intempestiuè requiris.  
At si iterum pulsans foribus non desinat ille  
Improbus, hoc equidem dico non falsa locutus,  
Si non ut charo uotum præstabit amico,  
Improbitate uiri surget tamen ille coactus  
Suppeditans panes, quantum putat esse necesse.  
Propterea uobis dico moneoq; fideles,  
Ut quæcunq; dari cupitis, per uota petatis.  
Poscite quæ uultis, tum cuncta petita dabuntur.  
Querite, quæsitum foeliciter inuenietis,  
Aethereas pulsate fores, reddentur apertæ.  
Nam quicumq; petit, res auferet ille petitas,  
Quærens inueniet, pulsans mittetur & intrò.  
Quis uestrum si fortè roget de pane parentem,  
Cui lapidem ferat ille grauem? Quis poscere piscem  
Auditus, dirum capiat pro pisce colubrum?  
Quisq; petens ouum gallina matre creatum,  
Accipiat cauda mimitantem Scorpion unca?  
Quòd si uos homines, qui prima ab origine prauis,  
Tam bona poscenti soboli dare dona potestis:  
Quanto celestis Genitor magis æthere summo  
Intima replebit sacro præcordia flatu

Omnibus

EVANGELIA

*Omnibus his, quicunq; petent ipsumq; rogabunt.*

IN FESTO PHILLIPPI ET IACOBI APOSTOLORVM  
EVANGELIVM IOAN. XIII. CAP.

ARGVMENTVM.

*Cum Patre sese unum summo testatur Iesus,  
Inde suo mandat nomine cuncta peti.*



**D**iscipulos tristi cum cerneret esse dolore  
Percussos Dominus, quia se dixisset abire,  
Mœrentes animos tali sermone refecit:  
Ponite corde metum socij, secludite curas,  
Pectora nec uano consumite uestra timore.  
Creditis in summum stabuli si corde Parentem,  
Illius in uerum tunc me credite Natum,  
Ampla mei Patris domus est, & plurima celo  
Mansio, suscipiat quæ uos de carcere Mundi,  
Præbeat & sedes post aspera fata quietas.

Si

FESTIVALIA.

Si tamen ista secus, quàm nunc audistis, haberent:  
Tunc ego iam dudum dixissem talia uobis,  
Nempe quòd hinc abeam uani de limite Mundi,  
Sedibus æthereis uobis loca digna paratum.  
Verùm quando abiens ista statione recedam,  
Perpetuam uobis sedem mea cura parabit:  
Mox iterum ueniens hinc uos assumere mecum  
Incipiam, cæliq; domo meliore reponam,  
Vt spacio mecum iuncti maneatis eodem.  
Scitis enim cur hinc abeam, quoq; ipse recedam,  
Nec uia suscepti uobis incognita cursus.  
Talia dicenti Thomas contrarius inquit:  
Nescimus quò Chryste uelis, abiensq; recedas,  
Ergo uiam nouisse tuam quì quæso ualemus?  
Ipse nisi incipias cursus monstrare latentes.  
Talia quærenti contrà respondit Iesus:  
Sum uia, sum uitaq; salus, & semita ueri:  
Ad summum nemo poterit uenisse Parentem,  
Ipse nisi monstremq; aditus, ducamq; sequentem.  
Si bene me nostis, Patrem quoq; nosse potestis,  
Et iam nouistis, nec non uidistis eundem.  
Hæc ubi fatus erat, tali sermone Philippus  
Incipit: O summum nobis ostende Parentem,  
Hoc unum toto te pectore Chryste rogamus,

Et

EVANGELIA

Et tunc sufficiet nobis, nec plura petemus.  
 Rettulit hic Dominus tali responsa tenores  
 Cur ego tam longo uobiscum tempore uixi?  
 Verbaq; tot feci, mirandaq; facta peregi,  
 Nec tamen agnoscis qui sim qualisq; Philippe,  
 Hoc tibi protestor summum iuratus Olympum,  
 Me quicumq; uidet, summum uidet ille Parentem,  
 Atq; duos una iunctos in imagine cernit.  
 Cur igitur dicis? supremum ostende Parentem:  
 Nondum etiam hoc toto firmatus pectore credit  
 Quod Pater in nato, Natus manet inq; Parente.  
 Hæc ego uerba monens de me non proloquor ipsis  
 Sed Pater unigenæ residens in pectore Nati  
 Ista refert, & tanta potens miracula præstat.  
 Hoc igitur nostris moniti iam credite uerbis,  
 In patre quod uerè maneam, Pater ipse & in me  
 Si non his uerbis, tunc saltem credite factis,  
 Quæ patria Natus tantum uirtute peregi,  
 Nec uos illa latent, sed adhuc meminisse potestis.  
 Hoc equidem uobis dico, protestor & Amen,  
 In me qui toto confisus pectore credit,  
 Hæc etiam faciet, quæcumq; ego facta peregi,  
 Et maiora etiam præstabit forsitan illis.  
 Talis erit uirtus fidei, tam magna potestas.

Scilicet

FESTIVALIA.

Scilicet ad summum quoniam discedo Parentem,  
Talia qui tribuet credenti munera turbae.  
Insuper & nostro Patrem quaecumque petetis  
Nomine poscentes, uobis prestabo fidelis,  
Ut pater in Nato iustum lucretur honorem.  
Quidquid erit nostro quod nomine cunq; petetis,  
Perficiam certo, nec uos spes irrita fallat,  
Praestita sed largo cum scenore cuncta reponam.

IN DIE CORPORIS CHRISTI.

EVANGELIUM IOANNIS VI. CAP.

ARGUMENTUM.

Commendat carnemq; suam sanctumq; cruorem  
Christum, & hunc uitae praeedicat esse cibum.

**V**Rbe Capernaes cum uersaretur Iesus,  
Atq; illum in coetu populi Synagoga tenebat,  
Mystica commendans Paschalis fercula coenae,  
Protulit has orsus diuina uoce loquelae:  
Est cibus aeterna uere caro nostra salutis,  
Exhibet & noster uerissima pocula sanguis.  
Quisquis edit carnemq; meam, bibit atq; cruorem,  
Permanet unito uiuens in corpore mecum,  
Atq; ego permaneo rursus coniunctus in illo,  
Sic unum sumus unanimes semperq; manemus,  
Vincula nulla dies nostri dissoluet amoris.

Q 2 Sicut



## EVANGELIA

Sicut ab astringero Genitor me misit Olympo  
Aeternum uiuens, & ego quoq; uiuo per illum:  
Sic etiam qui me comedet mansurus in eum  
Aeternae precium uitae me propter habebit.  
Hic est ille Dei panis, qui uenit ab alto,  
Intima caelesti satians praecordia succo.  
Non ueluti uestri ceperunt manna parentes  
Aethere demissum, quos hinc sua fata tulerunt.  
Sed uerè panem quicumq; comederit istum,  
Aeternum uiuet nullo moriturus in euo.  
Tantam praestabunt caelestia fercula fructum.

IN DIE S. IOANNIS BAPTISTAE.

EVANGELIUM LUCAE I. CAP.

ARGUMENTUM.

Nascitur effoeta sanctus de matre Ioannes,

Zacharias grates carmine letus agit.

**C**um uirtute Dei pregnans Elizabeth esset,  
Quae sterilis multos uitae traduxerat annos,  
Iamq; propinquarent decimi confinia mensis,  
Aduenit tandem pariendi tempus, ut aluo  
Redderet acceptum diuino munere pignus,  
Tum peperit charo natum foecunda marito.  
Hoc ubi uicinas insuetum uenit ad aures,  
Quod benefacta Deus uetulae tam magna dedisset.

Com.

## FESTIVALIA.

Continuò cœpere animis gaudere profusis,  
Dulce puerperium gratantes ore benigno.  
Iamq; octaua dies aderat, uenêre frequentes,  
Vt iuxta Legem Domini præputia nati  
Scinderet admotus teneri pudentia culter,  
Zachariam patris puerum de nomine dicunt.  
Nominis at ueri iamdudum præscia mater,  
Non ita fiet, ait, sed uos hinc ite, Ioannem  
Dicite, non alio charum mihi nomine natum.  
Ast illi contrà uerbis nituntur & aiunt:  
Respice chara tuam toto cum stemmate gentem,  
Inuenies nullum, quod poscis, nomen habentem.  
Protinus innuitur patri, quo nomine dici  
Ipse uelit natum, paruam petit ille tabellam  
Nutibus, omnipotens nam uocis ademerat usum,  
Accepta scripsit: Nomen pueri esto Ioannes.  
Mirantur factum suspensis cordibus omnes,  
Talia nec credunt fieri sine numine diuûm.  
Continuò resoluta uiri sunt guttura sancti,  
Incipiensq; loqui laudabat uoce Tonantem.  
Tum percussa fuit uicinia tota pauore,  
Istiq; diffusa est Iudæam fama per omnem,  
Transiliens montes & opacas arbore ualles.  
Quotcunq; audierant, imo sub corde reponunt,

Q 3 Dicen-

## EVANGELIA

Dicentes Pueri qualis uir fiet ab illos  
Nam Domini uirtus illum manifesta regebat.  
At Pater æthereo iam dudum numine plenus  
Zacharias linguam reduci sermone resoluit  
Vatidico, talem depromens gutture uocem:  
Laudetur Dominus Deus Israelis in æuum,  
Illius & nomen summo celebretur honore.  
Namq; suam plebem cælo respexit ab alto,  
Seruili faciens de conditione redemptos,  
Erexitq; nouæ cornu prælustre salutis  
Constituens media serui Dauidis in æde,  
Sicut erat quondam statuens promissa locutus  
Ora Prophetarum per non mentita suorum.  
Ut nos eriperet sauis ex hostibus, atq;  
De grauiore manu, qui nos odere, malorum.  
Præstaretq; pius patribus miseramina nostris,  
Fœderis antiqui memor, & quæ fecit Abrahæ  
Iuramenta Patri, nobis bona tanta daturum.  
Scilicet ut manibus subducti hostilibus, ipsi  
Possemus uitam placidè seruire per omnem  
Pectore securi seuoq; timore carentes,  
Cultibus in sanctis iustisq; placentibus illi.  
At tu chare Puer Domini dicere Propheta,  
Namq; Dei natum cursu felice præbis,

## FESTIVALIA.

Vi tua lingua uiam uenturo preparet illi,  
Desq; pius populis uentura signa salutis,  
In qua cuncta sibi cernent peccata remitti.  
Offeret hanc summi bonitas miserata parentis  
Omnibus in Nato, quem culmine mittet Olympi,  
Scilicet ut cæcis ueniens appareat ille  
Gentibus, obscura resident quæ mortis in umbra,  
Infundens mutata nouam sub pectora lucem,  
Dirigat & nostros pacato in tramite gressus.  
Talibus obticuit senior, natumq; puellum  
Occupat amplexu strigens, atq; oscula iungit  
Dulcia: maternam pertentant gaudia mentem.  
At puer occulto celi crescebat in horas  
Numine: iam Iuuenis robusto corpore factus  
Desertis coluit syluas Iordanis ad amnem,  
Carne locustarum uiuens & melle liquenti,  
Corporaq; indutis gibbosi pelle Cameli.  
Hic rude ducebat nemorum sub frondibus æuum,  
Iamdudum meditans operis rudimenta futuri,  
Israheliticæ donec se ostendere genti  
Tempus erat, munusq; nouum tentare docendo.

IN FESTO SANCTORVM PETRI ET PAULI  
APOSTOLORVM,

EVANGELIUM MATT. XVI. CAP.

¶ 1 ARGV-

EVANGELIA

ARGUMENTVM.

Esse Dei Natum Petrus testatur Iesum,  
Aetherae clauas accipit inde domus.

**S**Ydonis atq; Tyri ueniens à littore Christum  
Contigerat fines, ubi Caesarea Philippi  
Ad Libani uallem fontes iacet inter amoenos,  
Vtrinq; & letas Phoenicum respicit oras,  
Atq; hic discipulos tali sermone rogauit:  
Quem dicunt homines Natū esse hominūq; Deiq;  
Respondent: Alij quòd sis Baptista Ioannes,  
Ast alij Heliam, Ieremiamq; esse loquuntur,  
Siue prophetarum numero de complice quendam  
Talibus auditis iterum quaesuit Iesus:  
Non ergo multa moror, quae sit sententia uulgi,  
Sed uos quem chari me dicitis esse sodales  
Reddidit excipiens reliquorum nomine Petrus:  
Tu Deus es uiui sobolesq;, ô Christe, Parentis,  
Ad nostram caeli dimissus ab arce salutem,  
Quem petiere Patres, quē concinuerunt Prophetae  
Venturum primo promissum semen ab auo,  
Deleat ut labem primi culpamq; parentis.  
Christus ad haec: O te felicem & Petre beatum  
Nate Symon Iona, qui talia uoce fateris  
Ingenua, firmoq; probans in pectore credis.

Haec

FESTIVALIA.

Hec tibi non humana caro sed cognita fecit,  
Nec talem genuit mortali sanguine mater,  
Non ratio nouisse dedit uel mentis acumen,  
Sed meus è summo Genitor patefcit olympto  
Irradians mentem, & mysteria tanta reuelans,  
Qua paucis nouisse datum uirtute superna.  
Hoc igitur dico uera tibi uoce uicissim,  
Tu mihi Petrus eris, Petramq; ego nixus in istam  
Aedificabo meam (qua sacra Ecclesia) gentem,  
In qua firma mei stabit confessio uerbi,  
Et ualidis adeo firmabo uiribus illam,  
Ut uis nulla hominum, nec porta potentis Auerni  
Prualeat contra, uictam'ue euertere possit,  
Stabit in aeternos, sed non superabilis, annos,  
Numine freta meo, uerbo fundata potenti.  
At tibi Petre dabo claues, Caestia Regna  
Ut reserare queas, & firmo claudere nexu.  
Quidquid & in terra uerbi uirtute ligabis,  
Hoc erit in caelo firma ratione ligatum:  
Sic etiam in terra uerbo quacung; resolues,  
Sedibus aethereis eadem resoluta manebunt.  
Hec tibi semper erit uerbo fundata potestas.

IN FESTO VISITATIONIS MARIAE VIRGINIS,  
EVANGELIUM LVCAE I. CAP.

Q S ARGV-

EVANGELIA

ARGUMENTVM.

Carpit iter uirgo grauidam uisitq; propinquam,  
Carmine mox tollit magnificante Deum.



**O**Rta dies caelo fuerat, cum uirgo Maria  
Finibus exurgens patrijs ocepit abire  
Ad longè positam Iudaei nominis urbem,  
Elizabetha pio quid agat uisura labore,  
Quam gestare graue prædixerat Angelus aluum.  
Hanc petit officio cognatam uirgo fideli.  
Vtq; iter ingressa est longum, non multa moratur  
Festmans cursu iuga per montana citato.  
Iamq; dies caelo processerat unus & alter,  
Et totidem soles ierant, cum sedula uirgo  
Hospita successit Iudææ mœnibus urbis,  
Zachariæq; domum subiit, de more salutem  
Elizabetha tibi dicens, dextramq; prendit.

μετὰ οπὴ  
δὴς.

Virg

## FESTIVALIA.

Virginis ut uocem uerò Elizabetha recepit  
Auribus, ex templo grauido quem uentre gerebat  
Subsiliit letis in corpore gestibus infans,  
Scilicet ostendens Domini se noscere Matrem.  
Hic ipsa Elizabeth sacro iam numine plena  
Tali fatidicam linguam clamore resoluit:  
Sis benedicta mihi Mater Virgoq; Maria  
Foemineos inter coetus: benedictus & ille  
Quem geris in casto latitantem corpore fructum.  
Vnde mihi uerò ueniunt tam grandia donas  
Ut mater Domini per tam longinqua uiarum  
Interualla procul ueniat, coramq; saluet,  
Nec pigeat nostros illam subiisse penates?  
Aspice ut audiui de te cognata salutem,  
Auribus & sonuit tua uox gratissima nostris,  
Protinus exiliit mihi uiscere conditus infans,  
Leticiam de te nondum genitusq; recepit.  
Dum loquor ista, nouum sub pectore sentio motū.  
Siste puer, ne lesa mihi praeordia rumpas,  
Quid faceres natus, nondum qui talia natus.  
Tu uerò ante alias felix, & iure beata es,  
Pectore quae firmo credens ea uera putasti,  
Nuncius aetherea quae rettulit Angelus arce,  
Nec malefida tuam subiit dubitatio mentem.

Nunc



E V A N G E L I A

Canticū  
Marie.

Nunc igitur fructu fidei donaberis amplo.  
 Omnia nam fient ea, perficientur & in te,  
 Quæ Domini prædicta sacro prius ore fuerunt.  
 Hic incensa nouo circum præcordia motu,  
 Extulit hanc uocem læto sermone Maria:  
 Magnificant animæ Dominum præcordia nostræ,  
 Spiritus & toto saliens in pectore gestit,  
 In Domino ueram nobis tribuente salutem:  
 Namq; humilem celo seruam respexit ab alto,  
 Nec dedignatus miseram Deus ipse puellam.  
 Hinc genus omne hominum dicet me iure beatam,  
 Cunctaq; perpetuas tribuent mihi secula laudes.  
 Magna mihi fecit, rerum cui summa potestas,  
 Illius & sanctum super omnia secula nomen,  
 Fine caret bonitas Domini, procedit & usq;  
 In natos natorum, & qui nascuntur ab illis,  
 Scilicet integris metuunt qui cordibus ipsum.  
 Exeruit fortem per facta potentia dextram,  
 Dispergens homines elato corde superbos.  
 Deposuit multos ueteri de sede potentes,  
 Rebus & angustis humiles euexit in altum.  
 Insuper & largam dedit esurientibus escam,  
 Omnigenum replens illos uirtute bonorum.  
 Diuitijs contra plenos dimisit inanes,

## FESTIVALIA.

Atq; suis frustra docuit confidere nummis.  
Ipse recordatus patriæ bonitatis ab alto,  
Ishrahel puerum summo suscepit amore.  
Impleuitq; simul studio promissa fideli,  
Sicut erat nostris maioribus ipse locutus,  
Imprimis Abrahæ gentiq; ipsius in ævum.  
Talia cùm uirgo letanti uoce peregit  
Persoluens Domino laudum pro munere grates,  
Obiit, linguamq; sono cessante repressit.  
Illam cognati simul & mirantur amici  
Talia dicentem, uerbisq; insueta canentem.  
Zacharias summo ueneratur honore propinquam,  
Et rogat ut certum grauida cum coniuge tempus  
Permaneant, nec tam subito cognata relinquat  
Limina, quæ patrijs ueniens accesserit oris.  
Paruit oranti mansueto pectore uirgo,  
Iunctaq; cognatis Solyma permansit in urbe,  
Donec adimpletis ter cornibus aurea Phœbe  
Viderat exactos totidem procedere Menses.  
Hinc ubi tempus erat, Iudææ rura relinquens  
Ad patrios redijt cursu festina penates.

IN FESTO DIVISIONIS APOSTOLORVM.

EVANGELIUM MATT. CAP. X.

ARGV-

# EVANGELIÄ

ARGUMENTVM.

Discipulus Christus Iudæas mittit in oras,  
Quæq; docenda uiris & facienda monet.

**T**alibus exactis cœtum cùm Christus in unum  
Bis sex Discipulos consueto more uocasset,  
Constitit in medio illorum, uocemq; resoluens,  
Ius dedit immundos pellendi Demonas illis,

Duodecī **A**ddidit & uires morbos curare nocentes,  
Apostolo **D**efectusq; hominum uarios abolere precando.  
rū noīa. **N**omina Apostolica uerò sunt talia turbe:

- 1 Primus erat Petrus, cui nomina iuncta Symonis.
  - 2 Proximus Andreas frater, Galilæidos ambo  
Finibus exorti, Bethsaidos urbis alumni.
  - 3 Tertius hinc sequitur Iacobus, cognomine Maior.
  - 4 Quartus ab hoc frater, proles Zebedæ, Ioannes.
  - 5 Quintus erat natus Galilæa stirpe Philippus.
  - 6 Succedit numero sextus, cui Bartholomæus.
  - 7 Septimus hinc Thomas, Didymi qui nomē habebat.
  - 8 Octauò Matthæus adest cognomine Leui.
  - 9 Nonus ab hoc Iacobus, proles Alphae, Minorisq;  
Lebbeus decimus, Thaddæi nomine, Iudas.
  - 10 Undecimusq; Symon, Chananae gentis alumni.
  - 12 Vltimus Ischarioth, oculis præfectus, Iudas.
- Hos igitur numero bis senos misit Iesus,

## FESTIVALIA.

Et mandata ferens tales dedit ore loquelas  
Non ego uos iubeo cacas accedere gentes,  
Ad mea tempus adest quas nondum Regna uocari,  
Nec subiisse uelim terræ Samaritidos oras,  
Iudæis siquidem gens hæc inimica putatur:  
Ite sed amissos gregis Israhelis ad agnos,  
His monstrate uiam concordi uoce sonantes,  
Quòd prope nunc terris adsint caelestia Regna.  
Ergo parent sese, quò talia rite capessant:  
Insuper ægrotos uerbo curate potenti,  
Leprosos mundate uiros, uitamq; priorem  
Reddite defunctis, expellite Dæmonas atros.  
Atq; hæc contigerint uobis cùm munera gratis,  
Vendere non precio, sed gratis reddere fas est,  
Dicere ne quisquam meritò uos possit auaros.  
Nec uerò argenti precium gestate, nec auri,  
Aerq; non zonis ad iter, peram'ue feratis.  
Non geminæ uobis uestes, non calceus hærens  
In pède sit, baculum'ue manu portetis euntes.  
Dignus enim mercede sua, quicumq; laborat.  
Vos igitur tantum decet huic incumbere cura,  
Ut per uos discant homines caelestia iussa,  
Illi iusta dabunt uobis alimenta uicissim.  
Hoc etiam moneo, quamcumq; subibitis urbem,

Am

## EVANGELIA

Aut uicum, certis uigiles inquire signis,  
An ibi sit quisquam caelesti munere dignus,  
Ad quem uestra sonet diuini concio uerbi.  
Hunc ubi contigerit uobis reperire, manentes  
Aedibus illius munus praestate docendi,  
Donec tempus erit coepto discedere cursu.  
At si quando domum uobis continget inire,  
Dicite pacifico primum sermone salutem,  
Digna q̄; si fuerit caelesti uisa fauore,  
Accipiet letam uestro de munere pacem:  
Sin sese indignam tanto praebit honore,  
Ad uos pax iterum tum conuertetur ab illa,  
Inq̄; sinum uestrum, processerat unde, redibit.  
In quemcunq; locum socij uenietis euntes,  
Hic si nullus erit, qui uos in tecta receperit,  
Aut audire uelit caelestia iussa docentes,  
Mox exite loco, tectis excedite & urbe,  
Effugite indignas terras & limen iniquum,  
Sed prius excusso plantarum puluere, ne quid  
Hereat in uobis terrae de parte nefandae,  
Illius immunes sed re maneatis ab omni.  
Vera loquor uobis, & celi numina testor,  
Quod Sodoma regnis olim, plebiq; Gomorra  
Poena minor ueniet magno sub Iudice Mundi,

Atq;

FESTIVALIA.

Atq; cadet tali que uos contempserit urbi,  
Tam graue supplicium tunc gens ingrata subibit.

IN FESTO MARIAE MAGDALENAE.

EVANGELIUM LUCAE VII. CAP.

ARGUMENTVM.

Vnguento Christum perfundit in aede Symonis  
Fœmina peccatrix, saluaq; facta fide est.



**O**rabat Dominū quidā Phariseus, ut hospes  
Illius ad mensæ conuiuia lætus adesset,  
Membra refecturus dapibus uiniq; liquore.  
Paruit oranti tectumq; subiuit Iesus,  
Illius & mensa iussus consedit eburna.  
Iamq; ferebantur distincto fercula missu,  
Cum mulier, quæ fortè moras tunc urbe trahebat,  
Nomine peccatrix & re, cognouit Iesum  
Accubuisse domo positum mensaq; Symonis.

R Protinus

E V A N G E L I A

Protinus in uitreo portans unguenta Alabastro  
 Est ingressa domum, mensamq; accessit: & ecce  
 Ante pedes Domini stabat flens ubere largo,  
 Mox demissa solo lachrymis perfundere plantis  
 Illius atq; comis rursus detergere cepit.  
 Oscula tum fixit pedibus, succosq; potentes  
 Desuper irrorans, suauem diffundit odorem,  
 Omnia qui complet lauti penetralia tecti.  
 Hoc ubi conspexit fieri Phariseus iniquo  
 Lumine, mox secum tacito sic pectore uoluit:  
 Si foret hic uerus noscens arcana Propheta,  
 Non illum, quæ sit mulier, qualisq; lateret,  
 Ipsius attingens impuris corpora membris:  
 Nam mala peccatrix iustum non tangere digna est  
 Non tulit hæc animi Christus meditata latentis,  
 Atq; ita prorumpens Phariseo talia dixit:  
 Audi pauca Symon, quæ nunc tibi dicimus Hoster.  
 Ille quid est, inquit: quod uis uenerande Magister  
 Sermonem repetens porro sic cepit Iesus:  
 Fœnore diues erat quidam mercator ab ample,  
 Credita cui bini debebant æra ministri:  
 Alter quingentos nummos debebat, & alter  
 Quinquaginta simul: cum reddere tempus adesset  
 Vnde satis faceret Domino tum neuter habebat.

FESTIVALIA.

Creditor hîc sortem amborum miseratus acerbam,  
Debita condonans clemens utriq; remisit,  
Expense tabulis summam deleuit & omnem,  
Credita ceu nunquam poscentibus æra fuissent.  
Nunc age dic, horum quis iure impensius illum  
Diliget & gratius maiorem reddet amorem?  
Respondens Christo Phariseus talia reddit:  
Me nisi certa animi fallit sententia, Christe,  
Ille magis Dominum pro munere servus amabit,  
Maxima clementi cui debita corde remisit,  
Pluraq; quò debet, plus hoc in amore reponet.  
Intulit hîc Dominus: Verum me iudice dicis.  
Protinus à mensa mulierem uersus ad ipsam  
Lumine deiecto stantem sit rettulit ultrà:  
Hanc dilecte Symon mulierem conspicias Hospes,  
Hæc mihi maiorem, quàm tu, persoluit honorem.  
Namq; tuas postquàm subij perductus in ades,  
Flumina non pedibus porrecta pelue dedisti:  
Illa autem talos lachrymis mihi lauit, & ultrò  
Officiosa comis plantas absterxit utraq;  
Tu non amplexus, non oscula blanda tulisti;  
Hæc uerò pedibus non desijt ore fideli  
Basia ferre meis, & brachia stringere circum:  
Deniq; non olei blando mihi tempora succo

R 2 Mollia



## EVANGELIA

Mollia timxisti, cū toto uertice suprā  
Fuderit hæc largo preciosos imbre liquores,  
Vnde tuas iucundus odor se sparsit in ædes.  
Propterea dico ueris tibi uocibus hospes,  
Crimina multa quidem sunt huic dimissa puella,  
Quandoquidem multo Dominum dilexit amore.  
Pauca remittuntur sed cui peccata, uicissim  
Dilexisse parum modico censetur amore.  
Hæc ubi fatus erat, rursus conuersus ad illam  
Rettulit: O mulier tibi sunt peccata remissa.  
Talia dicentem, quæ cætera turba sedebat  
Accumbens mensæ, secum miratur, & inquit:  
Ille quis est, qui fœda etiam peccata remittit?  
Atq; huic unde uiro talis concessa potestas?  
Non latuere animi uolentes talia Christum,  
Hæc igitur rursus mulieri uerba profatur:  
Indubitata fides saluam te foemina fecit,  
Vade domum, letaq; animi iam pace fruaris.  
Talia cū dixit, placidè dimisit euntem.

IN DIE S. IACOBI APOSTOLI MAIORIS  
EVANGELIUM MATT. CAP. XX.

### ARGUMENTVM.

Pro natis rogat Zebedæi sedula mater,  
Sed nimis audacem iusta repulsa manet.

Chri

FESTIVALIA.

**C**ū Solymā Christus rursus properaret ad urbem,  
 Et medico cursu Iericho uicina teneret, (bē  
 Natorum genitrix Zebedei accessit ad illum,  
 Nomine quam sūeto Salomen dixerē propinqui,  
 Adduxitq; duos charissima pignora natos,  
 Maiorem dextra Iacobum, leuāq; Iohannem,  
 Quos Dominus nuper piscandi à munere ductos,  
 Ad sua mutata consortia mente uocarat.  
 Protinus ante pedes procumbit mater Iesu,  
 Deposceus aliquod pro charo pignore donum.  
 Ad quam sic placido Christus sermone profatur:  
 Munera dic Salome pro natis qualia poscas?  
 Aede tuum uotum, prompta est tibi nostra uolūtas.  
 Illa refert: Vnum cupio uenerande Magister,  
 Hunc natis prestare meis digneris honorem,  
 Ut teneant tecum celestis culmina Regni,  
 Alter q; à dextra sedeant alterq; sinistra.  
 Talibus auditis contrā respondit Iesus:  
 Ah Salome nescis quam non tibi debita poscas  
 Munera, nec nostrum est concedere talia uobis.  
 Utiliora tuæ soboli quim dona requiris?  
 Si tamen hūc calicem uos mecum haurire potestis,  
 Qui mihi restat adhuc uentura sorte bibendus,  
 Communi ue libet mecum Baptismate mergi.

R 3 Respon

E V A N G E L I A

Respondent mater (uolumus) natiq; Magister,  
 Protinus hinc illos sic rursus affatur Iesus:  
 Vos equidem calicem, quo proluar ipse, bibetis,  
 Atq; meo uobis dabitur Baptismate tingi,  
 Nec deerit tandem caelestis portio Regni.  
 Sed mihi quod dextra cupitis laeuag; sedere,  
 Hoc precibus uestris non est concedere nostrum,  
 Sed manet aeternum Patrem penes ista potestas:  
 Talia concedet qui dona ferentibus illis,  
 Munus ad hoc prima quos legit origine mundi.  
 Haec ubi fatus erat, Salomen cum prole reliquit,  
 Hierichontae succedens moenibus urbis.  
 Et iam fama decem reliquorum uenit ad aures,  
 Protinus hoc animo factum indignante tulerunt,  
 Ausos nempe duos exposcere talia fratres  
 Cum genetrice sua, quae si tribuenda fuissent,  
 Non minus à domino sese quoq; ferre deceret,  
 Vtpote qui simili Christum uirtute secuti  
 Per uarios casus atq; aspera cuncta fuissent.  
 Talia sed Christus cum pectore sensit iniquo  
 Voluere discipulos, ad se mox conuocat omnes,  
 Eximat ut caecis errorem mentibus istum.  
 Incipiensq; loqui, tali sermone profatur:  
 Scitis & à nobis iam dudum audistis amici,

Quo

## FESTIVALIA.

Quod Proceres Mundi regnent, commissa potestas  
Est quibus Imperij, mundanaq; regna gubernent,  
Vnde etiam Domini subiecta à plebe uocantur,  
Atq; illis magni meritò tribuuntur honores:  
At uos non simili sceptrum ratione geretis,  
Conuenit officio non ista potentia uestro,  
Sed quicumq; cupit uestri gregis esse supremus,  
Hunc seruire decet reliquis, fieriq; ministrum:  
Et qui præcipuum uestro cupit agmine dici,  
Infimus ille prius fiat, reliquisq; ministret,  
Redditus ex Domino demisso pectore seruus.  
Sic hominis Natum celo uerisse uidetis,  
Non ut subiectos habeat sibi in orbe ministros,  
A quibus accipiat magnum prælatum honorem,  
Ipse sed ut tenui faciat se forte ministrum,  
Atq; alijs studio curaq; inseruiat omni,  
Pro quibus amissæ deponet munera uitæ,  
Consulat ut passa multorum morte saluti,  
Efficiatq; hominis peccati labe redemptos,  
Hoc uos exemplum domini seruare minores,  
Si cupitis ueri mihi nominis esse ministri,  
Non alio calum dabitur contingere pacto.

IN FESTO VINCVLORVM PETRI APOSTOLI.

Euange. ex Actorum Cap. XII.

R 4 ARGV-

**EVANGELIA****ARGUMENTVM.**

**Herodi Petrus capitur, quem carcere clausum  
Angelus educit nocte silente Dei.**

**C**œperat Herodes animo scuire nocenti  
In populū Christi sanctū qui nomen habebat,  
Iniectaq; manu quosdam torquebat amaris  
Supplicijs instans, pœnamq; insontibus augens.  
Iamq; furens gladio percusserat ille Iacobum,  
Germanum nati Zebedæo patre Iohannis,  
Nomine Maiorem quem cœtera turba uocabat.  
Et quia Iudeis hac se ratione uideret  
Complacuisse uiris, studio perrexit in isto,  
Christigenum fundens non una morte cruorem.  
Ergo etiam Petrum captiuum in uincula traxit,  
Præcipuum in coetu Domini qui nomen habebat.  
Iamq; propinquabat festum Paschale, quotannis  
Solenni studio quod gens Iudæa colebat,  
Mactatum comedens consuetis ritibus Agnum,  
Illius & sacro conspergens sanguine postes.  
Ast ubi Petrus erat Regi comprehensus iniquo,  
Ponitur obscuri metuendo carceris antro,  
Vndiq; constrictus uinclis grauibuscq; cathenis,  
Callidus incautis ne se subducere posset,  
Additur & certo custodia militis illi

Agm

## FESTIVALIA.

Agmine, quæ captum uigilanti lumine seruet,  
Festa recessissent donec Paschalia, namq;  
Post ea iudæis captiuum sistere Petrum  
Rex statuit, plebiq; uirum damnare petenti,  
Solueret ut placidas effuso sanguine poenas.  
Carceris ergo miser fundo conclusus in imo,  
Et custoditus per Martia signa iacebat,  
Sæpe memor uerbi, Dominus quod fecerat olim,  
Illum uaticinans alienis esse ligandum  
Inuitum manibus, quò nec uelit ire, trahendum.  
At non interea fratrum pia turba quiescit,  
Assidueq; Deum precibus uotisq; fatigat,  
Intima cum cordis gemitu suspiria fundens,  
Liberet ut captum supera uirtute Symonem,  
Et iam nox aderat, cuius sub luce sequenti  
Sistere captiuum plebi Rex ipse uolebat.  
Ultima Petre tibi uitæ nox illa fuisset,  
Ni Deus auxilium casu meliore tulisset.  
Namq; ubi somnus iners tenebris inuaserat orbem,  
Fessaq; iucundam capiebant membra quietem,  
Ipse etiam Petrus recubans in carcere clauso  
Lumina nocturno submiserat ægra sopori.  
Atq; latus miles claudebat utrunq; iacenti  
Constricto grauibus per corpora tota cathenis,

R S Nec

EVANGELIA

Nec deerat clauso uigilans in limine custos,  
 Sed faciente Deo cunctos sopor altus habebat.  
 Angelus ecce polo medium delapsus in antrum  
 Ingreditur, quo cuncta nouo ueniente relucet  
 Lumine, mirando tenebrae fulgore recedunt:  
 Non aliter quam si tenebrosa nocte coruscum  
 Emicet & tremulo prorumpat lumine fulgur  
 Omnia perlustrans, celeri simul igne recurrens:  
 Lumine discutiens noctem sic angelus atram  
 Effundit iubar immensum, latebrasque recludit.  
 Protinus ille latus Petri percussit, & ipsum  
 Excitat attonitum, tali sermone locutus:  
 Surge celer, somnumque simul cum carcere linquentem  
 Effuge, meque ducem caelo tibi suscipe missum.  
 Vix ea fatus erat, durae cecidere cathene  
 De manibus Petri, redduntur libera uinculis  
 Brachia cum pedibus, colloque annexa recedunt  
 Ferrea lemniacis conflata repagula flammis.  
 Ille stupet somno mixtoque timore grauatus,  
 Spemque metumque inter dubius contatur & haret.  
 Caestresque uiro perstringunt lumina flammæ.  
 Angelus idcirco sic illum affatus & inquit:  
 Tolle moras, zonaque mouens te cinge recurua,  
 Calceamenta simul geminis super indue plantis.

Petrus

## FESTIVALIA.

Paruit imperio succinctus & ilia Petrus,  
Aptauit geminos ad frigida crura cothurnos,  
Ille refert iterum: supremam corripe uestem,  
Inijciensq; humeris aptato pallia clauo,  
Huc ades, & promptè uestigia nostra sequaris,  
Liber ut euadas duris cum carcere uinclis.  
Hæc ubi fatus erat, medias mox ipse per umbras  
Angelus egreditur, Petrum ducitq; sequentem.  
Non sera, non muri, non ostia euntibus obstant,  
Omnia caelesti sed peruia numine cedunt.  
Ipse etiam petrus miratur, & inter eundem  
Talia qui fiant ignaro pectore uoluit,  
Angelicos etenim uultus non ille uidebat,  
Incertæ reputata fuit sed uisio menti,  
Solaq; dicentis penetrans uox ibat ad aures.  
Iam superata fuit custodia prima, simulq;  
Altera, militibus pleno stertentibus ore,  
Tanquam perpetuo clausissent lumina somno.  
Et iam contigerant solido stridentia ferro  
Ostia, contiguam qua ianua ducit in urbem.  
Ecce fores sese diductis pandere ualuis  
Incipiunt, & sponte sua ferrata recedunt  
Vincula, quæ uestes ualidos utrinq; tenebant.  
Angelus excedit, Petro monstratq; sequenti

Præuius



EVANGELIA

Præuius egressum, quem cum per longa platea  
 Compita duxisset sæui de carcere Regis,  
 Protinus abscedens illum sub nocte reliquit  
 Spiritus, in tenuesq; uolans euauit auras.  
 Ad sese ut redijt Petrus mentemq; recepit,  
 Diuinæ agnoscens facta auxiliaria dextra,  
 Talibus est secum læto sub corde locutus:  
 Nunc scio q; Christus, patimur quem propter, lesu  
 Miserit ætherea uenientem sede ministrum,  
 Qui tulit auxilium capto, sæuiq; Tyranni  
 Educens manibus, populumq; ipsumq; fefellit,  
 Tristia conantes intendere funera nobis.  
 Dixerat hæc secum tacitus, gressuq; silenti  
 Matris Ioannis properans deuenit ad ades,  
 Quem solito dicunt alij cognomine Marcum.  
 Hic etenim fratres cœtu stipante sedebant  
 Intenti precibus nocturnis atq; diurnis,  
 Multaq; pro Petri faciebant uerba salute,  
 Orantes contra regem tam dira mouentem.  
 Leniter ille fores cœpit pulsare rigentes,  
 Nec mora procurrit medias ancilla per ades,  
 Nomine dicta Rhode, patulam subit illa fenestram  
 Auditura sono quis nam pulsator adesset.  
 Protinus ut uocem Petri cognouit, ibi illa

Leti

## FESTIVALIA.

Leticia exultans portam non fecit apertam,  
Sed mox ingrediens fert nuncia fratribus, esse  
Antè fores Petrum claro sermone loquentem.  
Non habuere fidem Socij, stultamq; puellam  
Insanire ferunt, ast illa affirmat & inquit:  
Audiuisse sonum uocemq; & uerba Symonis.  
Obijciunt alij, fortasse est angelus eius.  
Interea Petrus cœpit pulsare secundo,  
Agmine procurrunt uno, foribusq; reclusis,  
Aspiciunt ueros oculos uultumq; Symonis.  
Terruit hîc animos res insperata pauentes.  
Innuit ille manu, presso ut sermone tacerent.  
Nec mora cum socijs medij penetralia tecti  
Ingreditur, casusq; suos exponit, ut illum  
Angelica Deus ipse manu de carcere clauso  
Duxerit, & portas & ferrea uincla relaxans  
Antè, soporatis somno custodibus alto.  
Hæc ubi dilectis narrauerat omnia lætus  
Fratribus: orauit Iacobo narrata referri  
Singula, per totam socijsq; manentibus urbem,  
Scilicet ut noscant diuinæ robora dextræ,  
Auxilioq; Dei rebus confidere discant  
Semper in aduersis, casus seruare per omnes  
Qui ualet afflictos caelestia uerba fatentes.

Talia

EVANGELIA

Talia cum dixit, sub prima crepuscula lucis  
Exijt urbe Symon, aliasq; accessit in oras  
Insani rabiem querens uitare Tyranni,  
Crudeles ne forte manus rursus ipse subiret,  
Quas semel auxilio fugisset ab æthere misso.

IN FESTO S. LAURENTII MARTYRIS,

EVANGELIUM IOANNIS

ARGUMENTVM

Semina producit granum tellure solutum,  
Hinc uitam nullus debet amare suam.

**S**exta dies aderat Pascha premissa sequenti,  
Bethaniam quando Christus peruenit, ubi  
Lazaron è tumulo uitæ reuocarat ad auras,  
Nuper et unguento fuerat persusus odoro.  
Hic igitur degens socios cum multa doceret  
Morte super tristi sibi conditione ferenda,  
Ignarisq; mali casus aperiret acerbos  
Illum excepturos, sic inter cætera dixit:  
Credite dicenti uobis quæ uera profabor,  
Ni Cereris granum terra mergatur in ima  
Atq; ibi putrescens fuerit ceu morte solutum,  
Proderit haud quicquam, neq; fructu proferet,  
Sed sine fruge bona semper solumq; manebit:  
Ast ubi subiectum gremio telluris amicæ

Perdit

## FESTIVALIA.

Perdiderit formam ceu passa morte priorem,  
Postmodò prorumpet culmo florente, suoq;  
Tempore proficiens specie meliore resurget,  
Multiplicemq; feret largo cum scœnore fructum.  
Quisquis amat stulto mundanam pectore uitam,  
Non retinebit eam, sed tristi funere perdet.  
At quicumq; odio uitam me propter habebit,  
Illam perpetuò saluus retinebit in æuo.  
Siue hic perdiderit, spacio meliore resumet.  
Si quis erit seruire mihi cui corde sedebit,  
Verbis & factis me sedulus ille sequatur,  
Atq; omni studio peragens mea iussa capeffats.  
Sic meus optata fiet ratione minister,  
Auferet & tandem condigni præmia serui.  
Me quicumq; locus Regni celestis habebit,  
Ille meos etiam teneat curabo ministros,  
Vt parili mecum sint conditione beati:  
Et quicumq; mihi uero seruibit amore,  
Hunc meus æterno Pater exornabit honore,  
Mercedemq; feret post tempora fluxa perennem.

IN FESTO ASSUMPTIONIS MARIAE VIRGINIS.  
EVANGELIUM LUCÆ X. CAP.

ARGUMENTVM.

Sollicita est multo dum sedula Martha labore,  
Incumbit uerbo tota Maria Dei,

Dum

E V A N G E L I A

**D**Vm peregrinatur Iudeis Christus in oris,  
 Et uarias urbes, pagos, atq; oppida lustras.  
 Tradendi studio diuini oracula uerbi,  
 Contigit ut uici cuiusdam parua subiret  
 Moenia, ubi hospicio noctis frueretur amico,  
 Nam decliuis erat uicino uespere Phœbus.  
 Hic quædam mulier, Martham dixere propinqua  
 Ciuis erat, Dominum quæ sub sua tecta recepit,  
 Hospicium præbens illi socijsq; benignum.  
 Multa super uirtute uiri, quæ fama ferebat,  
 Audierat siquidem, dudumq; optauerat illum  
 Cernere præsentem, uocemq; haurire loquentis,  
 Propterea gauisa fuit uenisse, receptum  
 Aedibus inq; suis omni tractabat honore:  
 Huic germana fuit, Maria quæ nomen habebat,  
 Dissimili planè ingenio studioq; sororis,  
 Quippe minus curans ciuilia munera uitæ,  
 Religionis erat studio plus dedita sacro,  
 Voluebatq; pios noctuq; dieq; libellos.  
 Hæc illi requies, hæc sola & summa uoluptas.  
 Hoc etiam factis Christo præsentem probauit,  
 Nam cum sollicito foret anxia Martha labore,  
 Discurrens hinc inde domo, faciendaq; curans,  
 Antè pedes Domini celestia iussa docentis

FESTIVALIA.

Illa sedens magno uerbum auscultabat amore,  
 Intentumq; animum cum lumine semper habebat  
 In uultum uocemq; Dei tam sancta loquentis:  
 Hunc amat, hunc unum cura complectitur omni,  
 Atq; sibi talem gaudet cecidisse Magistrum,  
 Multa rogans, & multa ferens audita uicissim  
 Sensibus hæc imis, res est quia summa, reponit:  
 At soror interea magno distracta labore  
 Martha fuit, totumq; domum irrequieta pererrat,  
 Plurima perficiens, famulis & plurima mandans,  
 Scilicet ut possit domino seruire fideli  
 Officio, partes animum diuertit in omnes  
 Sedula, nunc poclis, dapibus nunc illa parandis  
 Incumbit, nullumq; fugit distenta laborem.  
 Ergo uidens segni germanam corde sedentem  
 Non tulit, & Christum compellans talibus inquit:  
 Optime nonne uides, quanto sudore, magister  
 Aedibus inuigilem, faciendaq; singula curem,  
 Et soror interea nullis sedet anxia rebus,  
 Aspicias & pateris, ut me sic illa relinquat?  
 Nullius in partem ueniatq; ignaua laboris?  
 Ergo precor facias, ut non tibi sola ministrem,  
 Atq; illam iubeas aliqua me in parte iuuare,  
 Munera sic melius iunctæ curabimus ambe,

S Ad

EVANGELIA

Ad cunctos ego sufficio non sola labores.  
Rettulit hic dominus leni sermone uicissim:  
Sollicita es nimium, nimium te Martha fatigat  
Desine, nec tantis miseram te distrahe curis.  
Omnibus his unum magis est, mihi crede, nequa  
Quod curare quidem studio maiore decebat,  
Scilicet æterni mysteria discere uerbi,  
A quo uita, salus hominum, bona ueracq; pendem.  
At Maria elegit meliorem prouida partem,  
Hec illi nunquam per denti ablata feretur,  
Perpetuos uiuens sed eam retinebit in annos,  
Æternaq; bonis uitæ saluata fruetur.  
Hec ubi reddiderat, uocem suspendit Iesum.

EPISTOLA EIVSDEM FESTI

Ex Ecclesiasti. Cap. XXIII.

(EGO FLOS CAMPI)

**F**los ego sum suauē de se qui prebet odorem,  
Vitiferi qualis palmitis esse solet.  
Germine de nostro fructus nascuntur honesti,  
Deficit & nullo copia larga die.  
Huc igitur qui me cupitis, properanter adeste,  
Fructibus ad plenum uos satiate meis.  
Dulcior Hybleo resonat mea Concio melle,  
Et superant ipsos munera nostra fauos.

FESTIVALIA.

De me qui comedit, tales magis esurit escas,

Pluraq; quò sumpsit, sumere plura cupit.

Fontibus è nostris hausit quicumq; liquorem,

Plus sitit, & nunquam desinit ista sitis.

Quiq; mihi auscultat, non confundetur in auum,

Innocuus semper, qui mihi paret, erit.

IN DIE S. BARTHOLOMAEI APOSTOLI.

EVANGELIUM LVCAE XXII. CAP.

ARGVMENTVM.

Imperium socijs prohibet, mundanaq; Christus

Regna, sequi promptos seruitiumq; iubet.



**D**iscipulos inter domini contentio nata est,  
vt disceptarèt, quis eorum maior habèdus.

Hoc ubi cognouit, sic illis dixit Iesus:

Reges ciuili in mundo dominantur honore,

Et dominos qui scepra tenent suprema uocamus.

S 2 At



EVANGELIA

At uos non tali uitam ratione geretis,  
 Ut committatur uobis mundana potestas.  
 Sit procul hic error, sed uos qui maximus inter,  
 Se minimum faciat, tanquam sit iunior annis.  
 Et qui precipuus, reliquis seruire laboret.  
 Nam recta uolumus si rem ratione putare,  
 Maior an accumbens mensæ? maior uel ministrat  
 Nonne magis prestans, qui mensæ accūbit, habet  
 Ast ego sum uestri in medio ceu sorte minister  
 Omnibus officijs uobis seruire paratus:  
 Hinc uestros lauiq; pedes, tersiq; lauatos:  
 Vos tamen aduersis mecum persistere rebus  
 Cognoui, laudoq; animos hac parte fideles.  
 Atq; ideo uobis abiens mea Regna legabo,  
 Quæ pater ante mihi de cælo tradidit alto.  
 Tunc erit ut nostræ comedatis itemq; bibatis  
 Participes mensæ cælestia regna tenentes.  
 Inde simul mecum sella residebitis alta,  
 Iudicium populo super Israhele ferentes.

HYMNVS AD S. BARTHOLOMÆVM

Historiam eius ex parte complectens.

**I**ndia doctorem te Bartholomæe fatetur,  
 Agnouit Christi te duce namq; fidem.

## FESTIVALIA.

Nec tantum lingua dominum testaris Iesum:

Dogmata confirmas sanguine uera tuo.

Et pulchram pateris Christi pro nomine mortem,

Scilicet est uita charior ille tibi.

Hoc odisse suam uerè est ac perdere uitam,

Viuere quò uita sub meliore queas.

Fœlicem Regem, qui te doctore recepit,

Synceram Christi sustinuitq; fidem.

At seuum contra fratrem, qui uera docenti

Imposuit mortem Bartholomæe tibi.

Passus enim plagas totos concideris artus,

Decidit à lacero corpore uulsa cutis.

Talia quis uideat spectacula lumine sicco,

Barbaries seuis conuenit ista Gethis.

Martyrij sanctam tibi mors extrema coronam

Attulit, & finem præbuit hisce malis.

Nunc igitur celo fruere cum principe Christo,

Et precium mortis sydera uiuum habes.

Credibile est Regem, tua qui documenta secutus,

Viuere nunc etiam post sua fata polo.

Sicut Abel uiuit crudeli à fratre necatus,

Sic etiam hic celum fratre peremptum habet.

Viuite fœlices animæ, post funera nobis

Concedat uestros Christus adire choros.

EVANGELIA

IN DIE DECOLLATIONIS IOANNIS BAPTISTAE  
EVANGELIUM MARCI VI. CAP.

ARGUMENTVM.

Dum rex natalem celebrat, ceruice Ioannis  
Flebile Baptistæ ceditur ense caput.  
Exigit hoc munus sceleratæ filia matris,  
Hinc cognosce, furor quid muliebris agat.



**M**iserat Herodes in tristia vincla, Ioannem  
Qui traherēt captū, manibus post terga  
Iāq; prehēsus erat, cæcoq; in carcere clausus. (Galil.)  
Causa fuit mulier sceleratæ Herodias iræ,  
Subijciens Regi stimulos, quæ uera Philippi  
Fratri erat coniunx, lectoq; infida iugali  
Traxerat incesto præcordia Regis amore.  
Hinc illam fratri rapuit uesanus adulter,  
Nec fraterna malum pietas auertit amorem.

FESTIVALIA.

Iamq; sub uxoris titulo retinebat eandem,  
 Coniugium simulans, & honesta nomina thesauri  
 Pretextens sceleri manifesto in crimine uiuit.  
 Hæc ubi cognouit tam turpia facta Ioannes,  
 Cui pietas cordi, uicijsq; occurrere scædis,  
 Non tacuisse potest, sed regi talibus inquit:  
 Quid facis, Herodes fraterna coniuge gaudens?  
 Ereptamq; alij tibi quæ retinere uoluptas?  
 Heu fuge cõnubium uetitum, thalamosq; nefando  
 Abijce, nec tali cum corpore pollue mentem  
 Crimine, quod nunquam poterunt ignoscere Diuis:  
 Ipsa etiam natura thorum, quo uiuis, abhorret.  
 Talibus instabat monitis & uoce Ioannes,  
 Ad meliora uolens animum conuertere Regis.  
 Hæc ubi resciiuit crudelis adultera, seuos  
 Concipit irarum stimulos odiumq; Ioannis,  
 Hinc illi insidias animo molitur iniquo,  
 Consilijs quærens tacitis, qua tollere possit  
 Morte uirum, gladioq; inuisam abrumpere uitam.  
 Hoc unum diro uoluebat pectore secum,  
 Sive dies aderat, seu nox inuecta tenebris:  
 Nec mora, nec requies scelerati pectoris ulla est.  
 Sed fortuna deest, nec opus malè sana uoluntas  
 Effecisse suum re succedente ualebat,

S 4 Quoq;

EVANGELIA

Quoq; minus poterat, magis hoc fecisse uolebat.  
 Obstitit infano regis reuerentia cœpto,  
 Is metuebat enim meliori mente Ioannem,  
 Conscijs admissi sceleris, nec ledere sanctum  
 Audebat uatem, sed eum seruabat honore  
 Eximio, multisq; libens parebat eidem  
 In rebus, præcepta uiri uocemq; secutus,  
 Ipsius & sancto pendebat ab ore frequenter,  
 Mansissetq; utinam talis, nec scœmina mentem  
 Flexisset dubiam scelerato dulcis amore.  
 Opportuna dies aderat, tempusq; petitum,  
 Natalem regis referens per læta colendum  
 Gaudia, magnificis quare conuiuia mensis  
 Apparat Herodes totam celebranda per aulam  
 Principibus ducibusq; suis turbaq; fidei  
 Nobilium, quæ præses erat Galileidos ore.  
 Illi conueniunt festum solenne Tyranni  
 Iam celebraturi, regalem propter honorem.  
 Perstrepit aula sono uenientum & uoce loquentum,  
 Regia iam populi compleuerat atria coetus.  
 Protinus ingreditur magna stipante caterua  
 Herodes, soliumq; nitens conscendit Eburnum  
 Ornatu comptum uario pictisq; tapetis,  
 Inflexere genu procures ad uerba Tyranni.

### FESTIVALIA.

Ille thoris mensæ tandem consedit in altis  
Cum consorte thori falsa, quæ turgida gemmis  
Et radians auro Regem stimulabat amore,  
Purpura fucato meretricia fulget in ore  
Discubuere uiri longis ex ordine mensis  
Carpentes epulas & dulcia uina bibentes.  
Et iam prima quies mensis, cum uenit in aulam  
Ingrediens uirgo scelerata filia matris,  
Egregio cultu pariter formaq; refulgens.  
Ut tetigit mensam Regis cum matre sedentis,  
Poplite curuato solitum præmisit honorem.  
Inde quibus circum fuerat comitata puellis  
Incipit in gyrum celeres ductare choreas,  
Et pulsare solum pedibus, saltuq; decenti  
Corpora nunc sursum, nunc pellere mota deorsum.  
Complacuit Regi saltatio leta puellæ,  
Et propter matrem natæ quoq; facta probauit,  
Suauiter arridens oculis flagrantibus illi.  
Regis ad exemplum cuncti laudare honorem  
Cœperunt proceres, quos Regia mensa tenebat.  
Omnibus una fuit Regalis in ore puella,  
Illius & formam laudant gestusq; decoros.  
Forsan & hanc aliquis tacito suspirat amore,  
Blandaq; concedi sibi gaudia uirginis optat.

S S Tali-

EVANGELIA

Talibus accendit dementia corda Lyæus.  
 Iamq; mero plenus uesano & amore Tyrannus  
 Hac saltatricem compellat uoce puellam:  
 Huc ades ô pulchræ pulcherrima nata parentis,  
 Et quæcunq; uoles audacibus exige uotis.  
 Quidquid enim posces, tribuet tibi nostra uoluntas,  
 Nec dubita, tantum tuus explorare quid optes  
 Sit labor, & nobis porrò præstanda relinquitur.  
 Hæc ubi fatus erat, sanctè iurauit, & inquit:  
 Quidquid erit, quodcunq; petes, uotoq; requiret,  
 Hoc præstabo tibi, nec te spes fallat inanis,  
 Quin & dimidium nostri si poscere Regni  
 Fortè tibi libeat, nullam patiere repulsam.  
 Talia dicenti grates agit illa decoras  
 Vocibus & gestu, matrem petit inde uocantem,  
 Cum qua progrediens media discedit ab aula.  
 Virginei à tergo cœtus comitantur euntem.  
 Ut stetit ante fores, matrem clam uirgo rogauit,  
 Poscere quid Regem pia tam promissa ferentem  
 Debeat. illa refert: Caput exigit nata Ioannis,  
 Qui mihi uoce sua non desinit esse molestus.  
 Nititur & nostrum diuellere sæuus amorem.  
 Talia nos illi nunc præmia reddere fas est,  
 Desinat ut tandem rigidis melædere uerbis.

Dixit

### FESTIVALIA.

Dixerat, ex templò mediam rediere sub aulam,  
Iamq; instructa dolis sceleratæ filia matris  
Incipit ad Regem: Baptistæ posco Ioannis  
Munus habere caput fulgenti in lance recumbens.  
Talia nec natæ Rex inclyte dona negabis,  
Non uiolanda, prius qui iuramenta dedisti.  
Horruit ad uocem Herodes tam dira petentis,  
Tristitiam cepitq; animo magnumq; dolorem.  
Talia iam uellet se non promissa dedisse  
Virgineis uotis, quæ non reuocare liceret.  
Angitur infelix animo, sibiq; ipse repugnat,  
Nam pietas mentem deterret crimine tanto,  
In fontemq; uirum ferro iugulare uidetur  
Esse immane nefas, nulla ratione piandum.  
Rursus amor stimulans sceleratæ coniugis urget,  
Talia poscenti renuat ne dona puellæ,  
Iuramenta scelus uiolari grande uidetur.  
Quin etiam uoces & uerba odiosa recurrunt,  
Ille quibus gratos abrumpere nixus amores.  
Fluctuat incertus quid agat, dubiumq; futuri  
Alternantè animum nunc huc nunc deprimat illuc,  
Iam fecisse libet, iam non fecisse, quod instat:  
Sicut in undoso quæ fluctuat æquore nauis  
Irrequieta, loco ualet haud consistere certo,

Nunc



EVANGELIA

Nunc agitur sursum, nunc uoluitur illa deorsum,  
 Tartara iam cernit, iam cæli sydera tangit,  
 Nec mora nec requies feriunt hinc inde procella  
 Fluctibus alternis & agente nubila uenti.  
 Tandem deterior placuit sententia Regi,  
 Concessitq; uolens urgenti dona puella,  
 Ne uiolare fidem charis uideatur amicis,  
 Scilicet hoc cædem prætextu celat iniquam.  
 Dumq; cupit uerus, sit iam crudelis, haberi:  
 Perfidiam uitare uolens, immane Tyranni  
 Consequitur nomen, iustum funditq; cruorem  
 Impius, & sancto Domini non parcit amico.  
 Mox igitur misso mandat lictore Ioanni  
 Præcidi caput, & spaciosa in lance reponi,  
 Quod capiat uoti compos pulcherrima uirgo.  
 Protinus implentur sæui mandata Tyranni  
 Coniugis instinctu, ne fors sua iussa retractet.  
 Lictor adest, collumq; graui transuerberat ictu,  
 Tum caput innocui Vatis ceruice reuulsum  
 Traditur impauide scelerata ad facta puella,  
 Contrectare manu non horruit illa cruentas  
 Cum ceruice comas, pallentiaq; ora Ioannis  
 Impuris heu tam manibus non digna teneri.  
 Iamq; ferens patina rursus conscendit in aulam,  
 Obtul-

FESTIVALIA.

Obtulit & charæ regalia dona parenti  
Tristia, sed nimium mulieri grata nephandæ,  
Et iam discipuli percussa mente Ioannis  
Audierant mortem, scelerataq; facta Tyranni.  
Protinus adueniunt mœsti, corpusq; receptum  
Imponunt tumulo, charum lugentq; Magistrum:  
Hoc illi extremi soluentes munus honoris.

IN DIE NATIVITATIS MARIAE.

EVANGELIVM MATTH. CAP. I.

ARGVMENTVM.

Progenies Christi primo narratur ab ortu,  
Ordine fœlices enumerantur Aui.  
Scilicet ut constet series longissima rerum,  
Et patribus Christum semen adesse datum.

**P**rogeniem Christi liber hic describit Iesu.  
Dauidis qui natus erat, qui natus Abraham.  
Isacum Sara genuit grandæuus Abraham.  
Ille dein Iacobum, Iacobus produxit Iudam,  
Illius & reliquos undeno nomine fratres.  
Inde nurus Thamyre cultu deceptus Iuda  
Sustulit ex illa Phares Zaramq; gemellos.  
Hinc Esrom genuit Phares, Esromus & Aram.  
Aran Aminadab dedit, Aminadabq; Naasson.  
Salmonem Nâsson, Salmon Rachabe Boosq;.

Inde

EVANGELIA

Inde Boos Obet genuit Moabithide Rutha  
 Obed ab hoc Iesse fecit, Davidq; Iesse  
 Regem qui genuit Salomonem coniuge Natum  
 Bersabea, Vria fuerat quæ simplicis uxor.  
 Hinc Salomen fecit Roboam, Roboas sed Abiam  
 Ason Abia tulit, Iosaphat prognatus ab Asa.  
 At Iosaphat Ioram pater est, sed Ioram Ozia.  
 Is Ioathan fecit, Ioathan produxit Ahasq;  
 Ezechiam Ahas dedit, Ezechia Manassem,  
 Qui pater Amonis, Iosiam protulit Amon.  
 Iechoniam genuit Iosias, illius atq;  
 Fratres, dum capti Babylonica uincula gestant,  
 Hinc post exilium Iudæa à gente remotum  
 Iechoniam genuit Salathiel. ille deinceps  
 Zorobabel, qui post Abia produxit. at ille  
 Eliachim pater est: mox Eliachim tulit Azor.  
 Azor ab hoc Sadoc, generans dedit Achim.  
 Achim post Eliud, qui protulit hinc Eleazar,  
 Hoc genitore Matham satus est: hoc rursus Iacob,  
 Qui pater est iusti Mariam ducentis Ioseph,  
 Ex qua natus erat Christi cognomine Iesus  
 Aeterni patris soboles, mulieris & idem.  
 Atq; hæc progenies totius stirpis, Abrahæ  
 Semine procedens atq; in Davide resistens.

Quat-

## FESTIVALIA.

Quattuor atq; decem capitum fert nomina secum.  
Hinc si procedas Iessai à stemmate Regis  
Vsq; ad captivæ Babilonica uincula gentis,  
Maiorum inuenies bis septem nomina rursum.  
Deniq; si porrò iuga post Babilonica gentem  
Ordine dinumeres ad nati tempora Christi,  
Illa patrum series numero quadrabit eodem,  
Totaq; sic constat Christi generatio Regis  
Partibus æquatis in tres distincta maniplos.  
Qua ratione sed hic fuerit prognatus in Orbem,  
Qualiaq; in tanto miracula prodita partu,  
Postmodò dicentur uero narrata tenore  
Hic seriem gentis satis est monstrasse uetustam.

PRÆCEDENTIS EVANGELII SVMMMA  
& argumentum breue.

**A** Edita regali Dauidis stirpe Maria  
Quòd fuerit, Christiū peperitq; mater Iesum  
Quodq; impleta sient summi promissa parentis,  
Que data Iesseo fuerant credenda Propheta:  
Scilicet ipsius Messiam è stirpe futurum,  
Pagina Matthæi testatur prima, recensens  
Ordine contexto Patres, Regesq; sequentes,  
Quotquot ab Abramo numerantur ad usq; Mariã.  
Quo

EVANGELIA

Quae socio nupsit cognatae gentis Ioseph.

Hic scopus, haec uere est Capitis sententia prima.

IN DIE S. MATTHAEI APOSTOLI ET EVANGELII

EVANGELIUM MATT. IX. CAP.

ARGUMENTVM.

Quod peccatores recipit, culpatur Iesus:

Illorum causa se sed adesse monet.

**D**igrediens iret cum Christus ab urbe Capernaum.

Ecce hominem uidit pro uectigale sedem

Nomine Matthaeum, subito cui talibus inquit:

Quid cumulas tanto mortalia lucra labores?

Et nihil interea quae sunt caelestia curas?

Me sequere, & quaecumque tenes possessa relinque.

Te faciam longe meliori sorte beatum,

Thesaurosque tibi caelesti sede recludam.

Ille statim surgit, Christum sequiturque uocantem

Sordida mutato iam pectore lucra relinquens.

Hinc ubi progressi fuerant, Matthaeus amico

Accipit hospicio Dominum, gaudetque recepto.

Illius ergo domo cum discubisset Iesus,

Vt caperet laute gratissima fercula mensae,

Maxima continuo conuenit turba Telonum,

Et peccatores denso simul agmine multi

Accumbunt cum discipulis, iuuat ora tueri

Præsentis Domini, uocemque audire docentis.

Pl

## FESTIVALIA.

Plurima nam dapibus miscebat uerba subinde  
Peccantes rogans meliori insistere uita.  
Hoc Phariseorum cum gens inimica uideret,  
Qui sibi iusticia legis cultuq; placebant,  
Seq; alijs longè meliores esse putabant,  
Protinus ad Christi tacitè dixere ministros:  
Cur ita cum turba se peccatrice magister  
Consociat uester, coniunctus & asidet illis?  
Nec potiùs tam praua uirum consortia uitat,  
Dedecus unde refert, nullum laudatus honorem.  
Audijt hanc uocem simul & respondit Iesus:  
Non opus est ualidis medico, sed uiribus agris,  
Quiq; iuuare potest proprijs se uiribus ipsum,  
Auxilio alterius non indiget ille salubri.  
Ite sed hinc potiùs, uero cognoscite sensu,  
Quid sibi sacra uelint Beeritis uerba Propheta:  
Non holocausta uolo pingues oblata per aras,  
Sed super afflictos miserantia corda requiro,  
Vos igitur quare factum reprehenditis illud?  
Quod peccatorum miseror, studioq; fideli  
Sectantes doceo meliora munera uitæ,  
Scilicet officij pars est hæc maxima nostri.  
Non etenim ad iustos nihil adiutoris egentes,  
Sed peccatores ueni ad meliora uocandos.

Osee 6.

T IN

## EVANGELIA

IN DIE 5. MICHAELIS ARCHANGELI  
EVANGELIVM MAT. XVIII. CAP.  
ARGVMENTVM.

*Simplicitate iubet pueros imitemur Iesus:*

*Quantaq; concilient scandala damna, monent*

**H**ora fuit quando magna stipante caterua  
Discipuli Christum tali sermone rogabant  
Omnia qui nosti, praesentia, facta, futura,  
Dic age, nec pigeat nobis aperire Magister,  
Caelorum in regno quis nam sit maior habendus.  
Audijt orantes, puerumq; accersit Iesus  
Viribus atq; animis tenerum, membrisq; pusillum  
In medio statuens, responsaq; talia dicit:  
Hoc uerè affirmo, per summaq; numina testor,  
Vos nisi conuersi planè fueritis ab imo,  
Et pueris facti similes, uelut iste, pusillus,  
Mens quibus est simplex, mūdīq; ignara malorum,  
Non dabitur uobis caelestia regna subire.  
Quicumq; ergo libens humilem se fecerit ipsum  
Pectore demisso penitus, ceu paruulus iste,  
Maior erit summa regni caelestis in aula.  
Nomine quiq; meo puerum suscepit unum,  
Recta docens illum, factisq; ad honesta gubernandum  
Huic ego gratificans me suscepisse putabo.

Quisquis

FESTIVALIA.

Quisquis at è paruis credentem offenderit unum,  
Huic melius longè fuerit perferre molarem  
A collo lapidem, pontiq; sub æquora mergi.  
Væ nimium mundo tam scandala dira mouenti  
Criminibus uarijs: quanquam fieri illa necesse est,  
Væ tamè huic homini per què mala scandala fient.  
Est enim peccans alieni criminis autor,  
Exemploq; suo plures facit esse nocentes.  
Si te fortè manus uel pes offenderit alter,  
Hunc abscinde secans, & proijce, ne mage ledat.  
Est melius uitam tibi namq; intrare perennem  
Corpore truncato, manibus pedibus: ue resectis,  
Omnibus ac membris æternos ire sub ignes.  
Sic oculus quando mala te per scandala ledit,  
Erue continuo, terræq; illide nocentem,  
Nec te fallaci seductum lumine perdat.  
Est oculo melius si cælum intraueris uno,  
Tartara luminibus quàm cæca subire duobus.  
Ne mihi de paruis aliquem contempserit ullus,  
Dico etenim uobis, quod cuilibet additus horum  
Angelus in celo summi uidet ora parentis.

EPISTOLA DE ANGELIS.

Ex Apocalypseos Cap. XII.

T 2 ARGV.



EVANGELIA

ARGUMENTVM.

*Pugna fit in caelo, ueterem bellatur in hostem,  
Aetherea uictus pellitur arce draco.*

**P**vgnā grauis celi spaciōsa per atria coepit  
Et uehemēs bellum discordi exarsit Olympi  
Spirituū princeps Michaēl pernīcibus aliis  
Ipsius & socij iuncto simul arma ferebant  
Agmine, tartareū contrā (sera monstra) draconis  
Sydera de caelo spiris implexa trahentem,  
Pellere quem caelo mens omnibus una manebat,  
Hinc arsere graues animis caelestibus ire.  
Ille suas contrā uires attollit, & amplas  
Educens turmas uiolento Marte repugnat,  
Nec nisi deuictus medio uult cedere campo,  
Non sperata tamen uictoria contigit illi,  
Nec licuit parto socijs gaudere triumpho,  
Succubuit uictus caelesti robore tandem,  
Amplius & caelo spaciū non repperit ullum.  
Maximus ergo draco, serpens antiquus, & hostis  
Humani generis, totum qui perdidit Orbem,  
Qui sathanae nomen gerit, estq; diabolus idem,  
Aethere deijcitur summo uictoricibus armis,  
Et cadit in duram scelerato corpore terram,  
Totaq; spirituū comitatur turba malorum.

FESTIVALIA.

Fit sonitus cælumq; graui tonat omne fragore,  
Pulsaq; concutitur tam uasto pondere tellus.  
Hec ubi facta, polo uox est audita sub alto  
Talia proclamans ingenti iubila plausu:  
Nūc decus & uirtus, nūc regnū & summa potestas,  
Soli facta Deo est, Christoq; illius in æuum:  
Nunc humana salus damno est reuocata priori,  
Quandoquidem cecidit summo delapsus in imum  
Accusator erat nostri qui semper & hostis,  
Antè Deum culpans miseros clamore maligno  
Noctes atq; dies, rabida nec fauce quiescens.  
Hunc modò uicerunt Agni uirtute piorum  
Agmine, per sanctum quem reddidit ille cruorem,  
Perq; sui uocem uerbi testantis abundè,  
Quòd propter nomen domini, diuinaq; iussa  
Non etiam charam dubitarunt perdere uitam,  
Atq; suum cunctis caput obiectare periculis  
Extremam stabiles perpeſſæ mortis ad horam.  
Nunc igitur cæli pulso gaudete dracone,  
Exultate pij quicumq; habitatis in illis,  
Dicentes domino tali pro munere grates.

IN DIE FESTO SYMONIS ET IUDAE.

EVANGELIUM IOAN. XV. CAP.

T 3 ARGV

## EVANGELIA

ARGUMENTVM.

Contra odium mundi fraternum Christus duorem  
Discipulis mandat, de cruce præq; monet.



**H**Aec ego discipuli uobis mandata relinquo,  
vt stabilem inter uos animi seruetis amoris  
Firmaq; contineat uestras concordia mentes.  
Quòd si uos odio mundus malè sanus habebit,  
Non ignoratis, quòd me priùs oderit ille.  
Vt me tractauit, sic uos quoq; semper habebit.  
Impia de mundo quoniam sã membra foretis,  
Haud dubiè tanquam sua pignora mundus amaret.  
Nunc quia de mundo non ampliùs estis iniquo,  
Sed mihi selectos uos in mea regna uocauì,  
Propterea ille odijs uos nunc exercet amaris.  
Este mei uerbi memores, quod diximus antè,  
Non seruus maior domino, cui paret, habetur,  
Discipu.

## FESTIVALIA.

Discipuli non est melior fors sorte magistri.  
Ergo mihi infensi rabido si corde fuerunt,  
Quid mirum si uos odio sectantur iniquo.  
Sermonis ceu iussa mei seruare solebant,  
Sic quoq; doctrinam seruabunt, credite, uestram;  
Sed neq; me audierunt, nec uos audire libebit,  
Nomine sed nostro facient hæc omnia uobis,  
Quòd neq; me nec ritè meum nouere parentem,  
Imperio cuius ueni demissus in orbem.  
Quòd si non ueniens monuissem sedulus illos,  
Non ita peccassent, & nullum crimen haberent:  
Nunc aliquam uerò nequeunt prætexere causam,  
Nec licet ingratum tantum excusare furorem.  
Me quicumq; meum simul odit & ille parentem,  
Et geminum peccans committit crimen in ambos.  
Et tamen egissem non tanta uidentibus illis,  
Quæ nullum præstare alium potuisse fatentur,  
Se purgare queant forsân, culpaq; carerent:  
At nunc uiderunt mea facta potentia coràm,  
Et tamen oderunt Natum pariterq; parentem.  
Scilicet hæc fiunt, ut lègis uerba probentur,  
Carmine Iesseo quæ de illis scripta leguntur:  
Onere innocuum iuste sine pondere causæ.

Psal. 35.

T 4 IN

EVANGELIA  
IN FESTO OMNIUM SANCTORVM  
EVANGELIVM MATT. V. CAP.

ARGVMENTVM.

Enumerat Christus uite que facta beate,  
Adijcit & factis premia larga pijs.



**C**um populi turbam ingentem spectaret Iesus  
Que magno studio fuerat sectata docentis  
Ut uocem audiret, mirandaq; facta uideret.  
Protinus ascendit sublimi culmine montem  
Prospiciens cœrum populi, fessusq; resedit.  
Discipuli dominum fido stant agmine circum.  
Ille docens linguam tali sermone resoluit:  
1 **Fœlices animi qui paupertate laborant,**  
Nam possessio erit regni celestis eorum.  
2 **Fœlices nimium qui tristi pectore lugent,**  
Namq; illis late uenient solatia mentis.

Fœlices

FESTIVALIA.

Fœlices animo mites & corde benigni, 3  
 Heredes terræ quoniam reddentur opimi. 4  
 Et qui iusticiam esuriunt sitiuntq; beati, 4  
 Nam saturabuntur donis caelestibus olim. 5  
 Fœlices, hominum qui res miserantur egenas, 5  
 His etenim similis ueniet miseratio cælo. 6  
 Fœlices nimium qui mundo pectore uiuunt, 6  
 Namq; Deum quondam manifesta in luce uidebunt. 7  
 Fœlices odio uacui, pacemq; tuentes, 8  
 Namq; Deo nati tales dicentur in æuum. 8  
 Deniq; fœlices qui uim patiuntur iniquam  
 Propter iusticiam, tales potientur Olympo.  
 Vos quoq; fœlices eritis uereq; beati,  
 Tristia cum uotis homines opprobria dicent,  
 Et grauib; pœnis miseros hinc inde fugabunt,  
 Omnia dicentes in uos mala uerba; sed illud  
 Immeritò facient propter mea nomina uobis.  
 Tum gaudete uiri, letasq; extollite mentes,  
 Namq; manet uestros merces immensa labores  
 In cælo, requies ubi erit finisq; malorum.  
 Nec uos pœniteat socij tam sortis acerbe,  
 Sic etiam sanctos tractarunt antè Prophetas  
 A domino missos, quos sæcula prisca tulerunt,  
 Et mihi sic etiam facient crudelibus ausis.

T S COMM

## EVANGELIA

Communes igitur mecum tolerate labores.  
Præmia quò mecum socij coniuncta feratis.

IN DIE PIARVM ANIMARVM.

EVANGELIVM IOANNIS V. CAP.

ARGVMENTVM.

Natus habet uitam supremo à patre perennem,  
Iudicium toto qui super orbe feret.

**P**urima cùm Christus facili de morte piorum  
Verba locutus erat, quodq; ipsum uita per uita  
Cælica contingat summi bonitate parentis,  
Has etiam sacro profudit ab ore loquelas:  
Vera loquar uobis spacio uenit hora propinquo,  
Et iam tempus adest, ut mortua turba uocantem  
Audiat æterni Genitoris ab æthere Natum,  
Cuius uox totum resonabit uiua per orbem,  
Quiq; illam audierint, animis & corpore uiuent  
Sicut enim uitam Pater in se continet ipso,  
Sic illam in Natum miro transfudit amore,  
Perpetuoq; illi propriam concessit habere,  
Sic tamen ut quæiscunq; uelit communicet illam:  
Insuper & summo Natum dignatus honore  
Æternus Genitor, supremi tempore mundi  
Iudicium celebrare dedit, totumq; per orbem  
Humanum censere genus sub fine dierum.

## FESTIVALIA.

Propterea quòd natus homo quoq; filius esset  
Aeditus in carnem, sed crimine liber ab omni,  
Quod natura hominis pomi concepit ab esu.  
Talia, quæ refero, non debent mira uideri,  
Euentura suo nam singula tempore fient.  
Hora uenit quando cuncti tellure iacentes,  
Longa quieuerunt cæci qui tempora fati,  
Accipient uocem nati uenientis Olympo,  
Illius & iussu rupta tellure resurgent.  
Longa patrum series, nati, pariterq; nepotes  
Exibunt tumulis, & corpora uiua resument,  
Maximus immenso complebitur agmine mundus  
Non homines una sed enim ratione resurgent,  
Et diuersus erit tanto sub iudice finis,  
Nam quicumq; suis operati iusta diebus,  
Et bona fecerunt animo studioq; fideli,  
Talibus ad uitam dabitur prodire perennem,  
Mortis ab imperio cæliq; ad regna resurgent:  
Contra, qui uitam factis egere nephandis,  
Seq; reos prauis scelerum fecere malorum,  
His ad Iudicium reddetur uita tremendum,  
Ut meritas iuxta pœnas mittantur ad Orcum:  
Talis erit finis iustorum & meta malorum.

IN



## EVANGELIA

IN VESTO S. MARTINI EPISCOPI,  
EVANGELIVM LVC. XII. CAP.

ARGVMENTVM.

Expectant dominum sera ceu nocte ministri,  
Sic etiam uigiles conuenit esse pios.

**D**iscipulis Christus sic est aliquando locutus.  
Vos quicumq; mei cupitis uerè esse ministri,  
Cultibus in sanctis uestros præcingite lumbos,  
Ardentesq; manu lychnos teneatis utraq;  
Ut similes seruis studio fiat in omni,  
Qui dominum expectant ad gaudia leta uocatum,  
Absentemq; domo rediturum tempore certo,  
Ut quando ueniat multa sub nocte reuersus,  
Impatiensq; mora uelociter ostia pulset,  
Continuò reserent intromittantq; iubentem.  
O nimium seruos tali ratione beatos,  
Quos ueniens dominus uigilantes repperit esse  
Hoc equidem dico uobis, sese ille parabit  
Succingens, mensa seruosq; sedere iubebit,  
Et uice mutata ingrediens in seruiet ipsis.  
At rediens prima noctis uel parte secunda,  
Semper in officio positos si inuenerit illos  
Fœlices nimium seruos uereq; beatos,  
Tanta relegato quibus est uigilantia somno.

At uos

FESTIVALIA.

At uos hoc certa moniti ratione sciatis,  
Si dominus nosset, quo fur uenturus in aedes  
Tempore sit noctu, uigilans attendere illum,  
Nec sineret fracto latitantem irrumpere tecto.  
Vos igitur fitis simili ratione parati,  
Namq; hominis Natus ueniet, quo tempore forsam  
Pectore securo minimè expectabitis illum.

IN DIE S. NICOLAI EPISCOPI.

EVANGELIUM LVC. XIX. CAP.  
ARGUMENTVM.

Rex abiens seruis committit grande Talentum,  
Qui reduci rursus lucra parata ferunt.

**C**VM ppe uenisset Solymarū Christus ad urbē,  
Discipuliq; rudes Regnum caeleste putarent  
Esse reuelandum spacio fortasse propinquo,  
Mentibus errorem dominus quò tolleret istum,  
Venturum alia regnum ratione doceret,  
Sermonem tali à simili producere coepit:  
Nobilis è patria peregrinus ibat in oras,  
Acciperet quò scepra noui sublimia regni,  
Cognati que morte sibi concessa uocabant,  
Inde reuersurus regni ditione recepta.  
Ergo prius patrijs quàm digre deretur ab oris  
Antè decem seruos in regia tecta uocauit,

Parabola  
de talētis.

Exposi-

E V A N G E L I A

Exposita q̄; uie causa, quam tenderet ire,  
 Vnicuiq; minam presenti tradidit ere,  
 Omnibus & pariter communi nomine dixit:  
 Hoc pretium serui cura tractate fideli,  
 Mercibus alternis mutantes era uicissim,  
 Empta q̄; cum largo rursus diuendite questu,  
 Exercete manu lucrosa negocia dextra,  
 Vt condigna mihi redituro lucra paretis,  
 Premia tum uobis referens non parua rependam  
 Talia precipiens, peregrè digressus, abiit.  
 Ast dominum ciues animis odere malignis,  
 Illius & sese cupidi subducere regno  
 Legatos misere procul, qui talia dicant:  
 Nolumus esse magis tali gens subdita regi,  
 Legibus exempti sed libertate fruemur:  
 Ille alios ciues alijs sibi querat in oris,  
 Quos premat imperio duro, nos atq; relinquat.  
 Talia cum peregre uenerunt nuncia Regi,  
 Insane doluit grauius molimina plebis,  
 Tanta q̄; commouit generosam iniuria mentem:  
 Sed tamen occultam pro tempore suppressit iram,  
 Talia q̄; ulcisci statuit malefacta reuersus.  
 Iam q̄; noui regni confectis ordine rebus  
 In patriam lætæ cum conditione redisset,

CONNO

## FESTIVALIA.

Conuocat accito bis quinos agmine seruos,  
Ante quibus pretium dederat, lucrumq; parare  
Iusserat, et paruo magnos acquirere fructus,  
Scilicet ut uideat, quae commoda quisq; pararit,  
Et qua commissum tractarit fruge talentum.

Protinus accedit primus, qui talia fatur:

I.

Ecce mimam depono tuam, Rex inelute, luero  
Rettulit illa decem, studio tractata fidei.

Laudauit seruum dominus, dixitq; uicissim:

In minimo fides quoniam mihi serue fuisti,

Ex uno faciens nobis bis quinq; talento,

Imperium supra totidem tibi traditur urbes,

Illis praesideas iubeo, et cum laude gubernes.

Post hunc alter adest parto cum foenore seruus

II.

Quinq; mimas referens una lucrante paratas,

Huic etiam dominus letas concessit habenas

Oppida quinq; super, iussitq; praesse regendo.

Tertius accedit diuerso pectore seruus,

Ad dominum uultu qui rettulit ista minaci:

III.

Ecce tuum pono tibi Rex iniuste talentum,

Quod mea seruauit circum sudaria uoluens,

Ne, dum lentus abes, quicquam decederet illi.

Promere non ausus fueram, te namq; timebam,

Et quoniam praedurus homo, perparcus, et asper.

Acci-

EVANGELIA

Accipis inuadens, ubi nil prius ipse locasti,  
 Atq; ibi farra metis, quã non tua dextera scilicet  
 Non tulit ingrati dominus conuicia serui,  
 Atq; ita respondit iustam commotus ad iram  
 Ex sermone tuo te perfide iudico nequam,  
 Verbaq; quæ dicis licentia pectora produunt.  
 Si tamen hoc noras, quòd sim prædurus & asper  
 Nempe ubi non posuit tollens, aliena metensq;  
 Semina, cur nostrum precium sine fruge tenebas?  
 Illo siq; minus tibi querere lucra libebat,  
 Cur non in mensa posuisti numerariorum?  
 Vnde recepissem cum fœnore lucra reuersus,  
 Nudaq; sors saltem sic non sine fruge fuisset.  
 Hec ubi fatus erat seruo Rex asper iniquo  
 Rettulit astanti famulorum talia turbe:  
 Huc agite, ingrati manibusq; auferte talentum,  
 Et date conseruo potius bis quinq; tenenti.  
 Respondent famuli: Tamen hic sat possidet antea  
 Tradite (Rex inquit) iubeo nihilominus illi,  
 Nam referam uerum uobis, nec mentiar illud:  
 21 Munera quisq; habet, plura huic adiecta dabitur  
 22 Qui caret, huic etiã quod habet tolletur ademptum  
 At uos ite, uiros nobisq; afferte rebelles,  
 Qui se fecerunt nostris è ciuibus hostes,

FESTIVALIA.

Imperiumq; meum ulterius non ferre uolebant,  
Attrahite multos, ut me spectante necati  
Susti in eant poenas pro seditione rebelli.  
Viuerē non etenim tali sub rege merentur.  
Sed procul hinc abeant Stygia sub regna tyranni,  
Supplicium æternumq; ferant pro talibus ausis.  
Hæc ubi rettulerat simili sub imagine Christus  
Cum socijs pergens Solymam contendit ad urbem,  
Instantis memor officij, sortisq; futurae,  
Ad quam festinans studio properabat anhelo.  
Tantus amor nostræ fuit, & pia cura salutis.

IN FESTO CONCEPTIONIS MARIAE VIRGINIS,

EVANGELIUM MATT. I. CAP.

ARGUMENTUM.

In patrias ædes Mariam deducit Ioseph,  
Admonitus somno pignora quanta feram.

**D**essponsata fores Christi cum matre Ioseph  
Nomine uirgineo, q; adhuc illæsa tenebat,  
Ante suas illam feret quàm sponsus in ædes,  
Res comperta fuit, grauidam portare puellam,  
Flaminis ætherei conceptum numine pignus.  
Hoc ubi cognouit de uirgine sponsus Ioseph,  
Territus est animo, casum doluitq; Mariæ,  
Deceptam quam forte malo credebat amore.

V Duce-

EVANGELIA

Ducere pregnantē quapropter abhorruit illam,  
 Quæ corrupta foret, mœchi ne nomen habere.  
 Et tamen ut syncerus erat, probitate fidelis,  
 Noluit idcirco miseram infamare puellam,  
 Sed clām constituit potiùs discedere ab illa,  
 Et primo infaustas sub limine linquere thesauri.  
 Talia aberranti secum dum pectore uoluit,  
 Angelus in somnis ueniens apparuit illi,  
 Talia suscipiens: Soboles Dauidis Ioseph  
 Ne timeas sponsam patrias traducere in ades,  
 Credulus & uana ne suspitione labores:  
 Non etenim passo grauidum fert crimine uentri  
 Desponsata tibi Mariæ castissima uirgo:  
 Spiritus impleuit domini sanctissimus illam,  
 Ut pareret sacram caelesti semine prolem,  
 Nomen utrunq; simul diuicq; hominisq; gerenti.  
 Hoc tamen illesa sic uirginitate peractum  
 Noueris ut uirgo pariter materq; futura  
 Illa sit, in partu nomenq; utrumq; tenebit,  
 Exemplumq; nouum statuet, quod nulla priorum  
 Aedidit, atq; æuo nulla est factura sequenti:  
 Illius ergo sacra ueniet qui natus ab alio,  
 Filius ille Dei summo dicetur honore,  
 Cui circunciso facies tu nomen Iesum.

FESTIVALIA.

Nanq; suam plebem redimens saluabit ab omni  
Crimine peccati, ueram dabit atq; salutem,  
Hinc Saluatoris meritò cognomen habet.  
Atq; hæc facta quidem domino curante fuerunt,  
Vt completa forent Esaiæ uerba propheta,  
Talia qui cecinit sacris oracula uerbis:  
Aspice uirgo manens casta grauidabitur aluo    22  
Et pariet natum, celo cui nomen ab alto    22  
Emanuelis erit: si nostra uoce resoluas,    23  
Nobiscum dominum designat adesse potentem,    23  
Angelus in tenues & iam discesserat auras,  
Humida nox quando somnusq; reliquit Ioseph.  
Ille thero surgit, diuinaq; iussa capeffens,  
In sua prægnantem deduxit tecta Mariam,  
Atq; chara tenuit pro coniuge coniunx.  
Non tamen amplexu sociam cognouit amoris,  
Sed pius abstinuit cœlebs à corpore sancto,  
Donec ab intacto peperisset uiscere natum,  
Et primogenitum partu fœlice tulisset.  
Hunc, ubi natus erat, uenerans suscepit Ioseph,  
Imponens puero diuinum nomen Iesus,  
Indicium nostræ quod habet signumq; salutis.

IN FESTO DEDICATIONIS TEMPLI.

EVANGELIUM LVC. XIX. CAP.

V 2 ARGV.



EVANGELIA

ARGUMENTVM.

Vt dominum uideat, scandit Zachæus in alio.  
Illius hospicio limina Christus adit.

**A**D Solymam tedens Iericho transibat.  
Ecce uir obuenit Zachæus nomie priu.  
Ille Telonus erat, diues, Christumq; uolebat  
Cernere, præ turba sed non ingente ualebat,  
Corpore Pygmæo simili quòd paruulus esset.  
Præcurrens igitur, ramos conscendit in alta  
Arboris, ac ficus & moro cognomen habentis.  
Hinc dominum sperat melius se posse tueri,  
Hæc transiturum quem publica fama ferebat.  
Iamq; locum Christus peregre deuenerat illum,  
Cum geminos tollens oculos suspexit in altum,  
Zachæumq; uidens ita mox affatur eundem.  
Festimans Zachæe ueni, descende repente,  
Namq; tuas hospes cupio diuertere in ades,  
Atq; hodie tecum, pateris si fortè, manebo.  
Ille mouens sese properè descendit ab alto,  
Aedibus & letus dominum suscepit Iesum,  
Hospite se tali iam credidit esse beatum.  
Hoc ubi Scribarum gens inuidiosa uideret,  
Murmure sic tacito secum sub corde fremebant  
Ad peccatorem cur hic diuertit iniquum?

FESTIVALIA.

Nec magis hospicium meliori à ciue requirit?  
Hunc cime nos missum celo uenisse putemus?  
Turpia peccantum qui sic consortia quarit?  
Ad dominum uerò Zachæus talibus inquit:  
En mediam partem cunctorum Christe bonorum  
Pauperibus dono: tum si cui fraude nocebam,  
Quadruplicās damnum largo cum fœnore reddo,  
Nec tamen his diuūm credo meruisse fauorem,  
Quicquid id est, præsens tua sit mihi gratia, posco.  
At dominus grata respondit uoce uicissim:  
Leta salus hodie domui bene contigit isti.  
Filia nam credens Abrahæ credentis & ipsa est,  
Huic quoq; debetur ueterum promissio patrum.  
Quarere nanq; Dei natus peruenit in urbem,  
Perdita quæ fuerant, & conseruare reperta.

DE COMMVNIFESTO APOSTOLORVM.  
EVANGELIUM MAT. IX. CAP.

ARGUMENTVM.

Cum paucos habeat messis diuina ministros,  
Nostra Deum plures poscere uota decet.

Circumiens passim Galilæa Christus in ora,  
Oppida per uicosq; simul, per rura, p urbes,  
Dogmata tradebat sacri caelestia Verbi,  
Omnibus inq; scholis resonanti uoce docebat.

V 3 Aiq

## EVANGELIA

Atq; Euangelij spargens mysteria passim,  
Regna Dei spacio monstrabat adesse propinqua,  
Propterea cupidè iam suscipienda monebat.  
Insuper & morbos populi curabat, & omnes  
Defectus hominum uerbi uirtute potentis,  
Non modò doctoris, medici quoq; munera pressis  
Iamq; uidens turbam populi sectantis inermem,  
Protinus indoluit sortem miseratus eorum,  
Infirmi siquidem defectis uiribus ibant,  
Dispersiq; greges ueluti pastore carentes,  
Qui sine iudicio loca per deserta uagantur,  
Nec uitare dolos norunt, rabiemq; luporum.  
Ergo discipulis tali sermone profatur:  
Magna quidem messis, sed pauci operantur in illa  
Cultoresq; tenet celestis uinea raros.  
Propterea messis dominum per uota rogate,  
Ipse det ut dignos ad munera tanta ministros,  
Ne desint segeti messores, uimitor uuis,  
Regna sed accrescant magno celestia fructu.  
Proderit hoc laudi diuumq; hominumq; saluti.

### ANTIPHONA DE APOSTOLIS.

Estote fortes in bello.

**F**ortes este uiri, iustissima bella gerentes,  
Gnauiter antiquum contra pugnate draconem  
Celica pro tali certamine regna feretis.

FESTIVALIA.

Que promissa diu uobis sine fine manebunt.

IN COMMUNI FESTO MARTYRVM,

EVANGELIUM MATT. X. CAP.

ARGUMENTVM.

Callidus est serpens, simplex sine felle columba,

Discipulis mandant Christus utrunq; sequi.

**V**enturos casus atq; aspera multa ferenda,  
Exponens socijs, cum prae monstraret Iesus,

Rettulit has fido depromptas pectore uoces:

En ego uos mundi fines emitto per omnes,

Sicut oues, coetum in medium rabiemq; luporum.

Pru dentes estote igitur cautoq; sagaces

Pectore, ceu serpens cum carmina sentit adesse

Incantatoris, geminas tunc obstruit aures.

Simplicitas adsit uobis imitata columbas,

Que sine felle manent, fraudem nouere nec ullam.

Imprimis homines, ceu monstra infida cauete,

In quibus ulla salus non est, constantia nulla:

Nec libeat uanis horum confidere dictis.

Illi etenim insidias uobis hinc inde parabunt,

Atq; dolis captos ducent ad triste tribunal.

Impia uos circum tum conciliabula cogent,

Inq; suas tacita Synagogas fraude trahentes

Corpora sanguineis lacerabunt uestra flagellis.

V 4 Quin

## EVANGELIA

Quin etiam ante duces mundi, Regesq; potentes  
Ducunt captiuos manibus post terga reuinctis,  
Et capita in fãndis onerabunt uestra querelis.  
Atq; hæc cuncta meo facient pro nomine uobis,  
Scilicet ut testes uenturo sitis in æuo  
Criminis ipsorum, quod nunquam abolere ualebitis  
Et super insanas referatis talia gentes.  
Quando igitur captos tradent hostilibus ausis  
Principibus coramq; uiris, & Iudice sistent,  
Non uos cura premat, nec sollicitudo fatiget,  
Qualia conueniat tum dicere uerba loquentes.  
Nanq; illa dabitur uobis præfenter in hora  
Dicere quæ seuo possitis ab hoste rogati.  
Nec uos illi eritis, qui talia uerba loquentur,  
Sed patris è cælo uestri: tum spiritus illa  
Per uestras linguas uelut instrumenta loquetur.  
Hic animos uocemq; reget dicenda ministrans.  
Non ego nunc possum paribus comprẽdere uerbum  
Quante tunc inerunt animis mortalibus ire.  
Heu scelus infandum, fratrem quoq; frater iniqua  
Proditione uolens tradet, natumq; parentes,  
Ipsi etiam nati genitorem surgere contra  
Incipient, diraq; uolens submittere morti.  
Deniq; uos odio quis non urgebit iniquos?

Non

FESTIVALIA.

Nominis ob nostri causam, quod ferre nequibunt.  
Propter & hoc unum miscebunt sydera terræ.  
Quisquis ad extremum constās permanferit ergō,  
Accipiet uitæ celestia dona perennis.

EPISTOLA DE MARTYRIBVS,

Ex Apocalypseos Cap. VI.

ARGVMENTVM.

Fœlices animæ niueo donantur amictu,  
Pro uerbo uitam quæ posuere Dei.

**V**incula iam quinti fuerant adapertha sigilli,  
Protinùs apparet fulgētibus Ara columnis  
Concaua, de uexo cuius sub fornicis arcu  
Fœlices animæ sese ostendēre piorum,  
Pro domini Verbo qui tristia fāta tulerunt,  
Innocuum læta fundentes morte cruorem,  
Testatūq; pijs celestia dogmata linguis,  
Occubere Dei sancto pro nomine letho  
He ueluti somno excite, calumq; tuentes  
Luminibus, uocem tali clamore leuabant:  
Sancte Deus, ueriq; tenax, iustissime Iudex,  
Tempore quàm longo tua se patientia tandem  
Protrahet, & iustam non progredieris ad iram?  
Vlcisci nostrum quando pater alme cruorem,  
Desuper incipies manifeste numine Iudex?

V S Mor-

## EVANGELIA

Mortales super iniustos, qui pectore seuo  
Terrea regna colunt, & nostra cæde triumphat,  
In tua nec cessant sequere tyrannide membra.  
Aspicias & pateris, nec se tua magna potestas  
Exerit, ut finem facias metamq; malorum?  
Talia non uano sursum clamantibus ore,  
Aethere uenerunt niuea de syndone uestes,  
Angelicis late manibus, iussuq; fuerunt,  
Tempus adhuc paruum placido requiescere fato,  
Donec adimpleto fratrum simul atq; sororum  
Agmine, quos eadem uenturo fata manerent  
Tempore sanctorum plenus constaret aceruus,  
Tunc etenim pœnas mundo pereunte daturus,  
Innocuum quorum sudisset seua cruorem  
Dextera, synceri propter pia dogmata uerbi:  
Præmia tum sanctis fore, suppliciumq; tyrannis,  
Illis in cælum tendentibus, hisq; sub Orcum.

IN COMMUNI FESTO CONFESSORVM  
EVANGELIUM MAT. V. CAP.

ARGUMENTVM.

Discipulos terræq; salem, mundiq; lucernam  
Esse iubet Christus, Legis & implet opus.  
**T**Radiderat Christus uite præcepta beate  
Discipulis, casus prædixerat atq; futuros,

2201r

## FESTIVALIA.

Monte sedens, quando ulterius sic dixit ad illos:  
Vos quoq; sal terræ chari decet esse ministri,  
Condiat ut mores hominum doctrina piorum  
Vestra, sua carnemq; uetet putredine solui  
Cætera: quòd si sal, quem conseruare decebat,  
Insatuatus erit, quo tum queat ille saliri?  
Proderit ad nihilum, sed proijcietur, humiq;  
Ut conculcetur pedibus per strata iacebit.  
Vos lucem mundi chari iubeo esse ministri,  
Ut mentes hominum accendatis lumine uero,  
Expulsis tenebris cælestia iussa docentes.  
Non ualet abscondi, quæ summo in uertice montis  
Eminet urbs, semperq; situ spectabilis ipso est.  
Nemo facem accendit lychni, modioq; recondit,  
Sed candelabro ponit, quò luceat illa  
Omnibus his quicunq; domo uersantur in ista:  
Sic etiam totum niteat lux uestra per orbem,  
Ut uident homines uestræ facta optima uite,  
Glorificetq; patrem uestrum, qui regnat Olympo,  
Vestraq; tum paribus factis exempla sequantur,  
Non ego uos iubeo chari sentire ministri,  
Soluere quòd legem ueniam, sanctosq; prophetas:  
Sit procul à uestris persuasio mentibus ista,  
Non ideo uenit subiectum missus in orbem.



## EVANGELIA

Illā sed ut possim factis implere laboro,  
Hoc opus, hic nobis labor est, hæc certa uolūta  
Dico etenim uerē, calum telluſq; peribunt,  
Interitura suo naturæ tempore fato:  
Nec tamen ullus apex sacræ de codice legit,  
Iotaq; transibit minimum perdetq; uigorem,  
Omnia dum fiant nostra perfecta labore.  
Hæc uos hæc alios faciet perfectio saluos,  
Exemptisq; iugo sub libertate reponet.  
Quisquis at istorum minimam uel tollere partem  
Conatus fuerit, præceptaq; sacra docendo  
Extenuans, alios errore abducet eodem,  
Calorum in regno minimus censebitur ille,  
Scilicet haud quaquam precio ponendus in illis.  
Qui uerò ista potens faciet, fieriq; docebit,  
Maximus in regno calorum iure feretur.

IN COMMUNI FESTO VIRGINVM.  
EVANGELIVM MAT. XXV. CAP.  
ARGVMENTVM.

Excipiunt sponſum cum lampadis igne puella,  
Altera pars oleo deficiente manet.

**T**Empus erat, socijs quo talia dixit Iesus,  
Ultima cū uenient supremi tēpora mundi,  
Aduentusq; Dei propior iam fiet ab alto.

T. 111

FESTIVALIA.



Tunc se bis quinque regnum caeleste puellis  
 Aequabit, thalami celebranda ad festa uocatis:  
 Quae postquam cultu sese instruxere decenti,  
 Lampada quaeque suam flammanti lumine gestans,  
 Nocte sub obscura festinis gressibus ibant,  
 Ut sponsum exciperet coetu comitate propinquum,  
 Quinque; sed illarum fatuae, totidemque fuerunt  
 Pectore prudentes, ut facta sequentia monstrant.  
 Nam uacuas tantum capiebant lampadas illae  
 Palladium oblitae prius infudisse liquorem,  
 Unde alimenta sibi succensus sumeret ignis.  
 Ast aliae sumpsere olei cum lampade succos  
 Pyxide contentos, ne commodus ignibus humor  
 Deficeret, flammam sed nutrimenta manerent.  
 Iamque pari studio sic progredientibus illis,  
 Longius extracto cum tempore sponsum abesset,  
 Fessa

E V A N G E L I A

Fessa puellarum deuicit lumina somnus,  
 Compositæ membris placidam cepere quietem.  
 Noctis erat medium, talis cum clamor ad aures  
 Insonuit: iam sponsus adest, occurrite lati  
 Ocyus excepto ut dignum præstetis honorem.  
 Protinus exurgunt studio properante puella,  
 Utq; absterferunt reliquum de lumine somnum,  
 Quæq; suam rutilo succendens lampada lyncho  
 Suscitât, et leto se præparat igne coruscans.  
 At stolidæ, quarum uacua iam lampades essent,  
 Quandoquidem nullos secum sumpsere liquores,  
 Talia prudentes reliquas per uerba rogabant:  
 Ex oleo nobis uestro date pauca sorores  
 Quæsumus, extincto penitus ne lampades igne  
 Intereant nostræ, dignum perdantq; nitorem,  
 Nasq; ignominia confusæ stemus acerba.  
 Talia prudentes rursus responsa dederunt:  
 Non ita, ne nobis pariter uobisq; sorores,  
 Deficiat pinguis nocturnæ lampadis humor:  
 Non satis est binis, quod uix bene sufficit uni,  
 Atq; unam partem melius, quàm utramq; carere  
 Querite uos potiùs, precio qui talia uendunt,  
 Aereq; mercati uobis curate liquorem.  
 Protinus illæ abeunt, nimium sed tempore sero,  
Emptæ

## FESTIVALIA.

Empturæ precio pingues ad lampada succos.  
Dumq; absunt stolidæ, magna comitante caterua  
Sponsus adest, læto cunctos simul ore salutans  
Quotquot in occursum studio uenere frequenti.  
Nec mora successit mediam sublimis in aulam,  
Hic ubi læticiæ iam cuncta parata fuerunt,  
Quiq; aderant prompti secum in penetralia ducit,  
Matres atq; uiros, iuuenes, pariterq; puellas.  
Post modò clausa fuit genialis ianua tecti,  
Ne quisquam subeat non hæc ad festa uocatus,  
Quemq; minus tali dignetur sponsus honore.  
Talibus exactis fatuæ uenere puella  
Ostia pulsantes, quæ tali uoce sonabant:  
Sponse fores aperi nobis, immitte rogantes,  
Venimus huc dilecte tuum quia propter honorem.  
Ille refert contrà: Dicam uerissima uobis,  
Non ego tam sero uenientes tempore nosco:  
Ostia clausa manent, nulli huc intrare licebit,  
Absuit in primis nostro qui tardus honori.  
Vos igitur uigilate uiri, subiecit Iesus,  
Ignari quoniam tempus nescitis & horam,  
Filius est hominis sub qua uenturus in orbem,  
Iudicet ut uiuos simul & tellure sepultos,  
Omnibus attribuens actæ sua præmia uite.

FINIS EVANGELIORVM.

CON-

EVANGELIA  
CONCLUSIO.

**D**vximus ad finem sacri monumenta laboris,  
In quibus exacti nobis propè transijimus  
Tempus, ut illius tractauimus ordine festa  
Singula, septena consuetaq; sabbata lucis  
Qualiscunq; meo ueniet censura libello:  
Res equidem magno mihi constitit ista labore,  
Abstulit & multas medijs cum noctibus horas.  
Quidquid id est operæ, soli sit gloria Christo,  
Cuius in hoc tantum studio seruimus honori,  
Illius auxilio metam quia Musa petitam  
Contigit, exhausto nunc fessa labore quiescet,  
Concedetq; alijs spacium meliora canendi.

VATICINIUM DE CHRISTO

Esaiæ Capite XI.

ARGUMENTVM.

Nascetur ueteri Dauidis germine Christus,  
Atq; nouam pacem gentibus ille feret.

**A**spice uirga recens Isai de stipite surget,  
Et nouus exiliet ramus radice uetusta:  
Proferet hic fructum mira uirtute potentem,  
Spiritus ac domini uerè requiescet in illo,  
Spiritus unde uenit uero sapientia sensu,  
Consilium pollens, & non superanda potestas

Cogni-

VATICIN. DE CHRIST.

Cognitioq; Dei sacro coniuncta timore:  
Spiritus hic illum domini terrore replebit,  
Iudicium non sic faciet, ceu lumine cernunt,  
Nec statuet poenas, ceu uerba feruntur ad aures,  
Iusticia potius miseris dominabitur alma,  
Imperioq; inopes terra reget aqua ferente.  
Tum bacula pulsabit humum, qui prodit ab ore  
Illius, & prauos consumet anhelitus oris.  
Iusticia succinctus erit circum ilia totus:  
Intemerata fide: renes circundabit ambos.  
Aurea tum terras surget pax orta per omnes,  
Bellaq; cessabunt odijs crudelia pulsis,  
Ira procul fugiet, discordia nulla manebit,  
Sed communis amor toto dominabitur orbe,  
Vnanimis iungens aeterno foedere mentes.  
Hinc Lupus inter oues medios habitabit & Agnos,  
Iunctaq; cornigero recubabit Pardalis hirco.  
Paruulus ecce puer uitulos paruosq; leonum  
Altiliumq; greges campo ductabit in uno,  
Pasua cum uaccis ursi coniuncta tenebunt,  
Et teneri amborum catuli colludere discent.  
Quin etiam stabulis carpent stramenta leones,  
Sicut aratores foenilia pabula tauri,  
Paruulus & blandæ qui reptat ad ubera matris,  
Vipereum tangens gaudebit corde foramen,  
Atq; alium primum materno à lacte remotus,

X Immit-

VATICINIUM

Immittet digitos Basilisci letus in antrum,  
 Nullaq; percipiet contacti damna ueneni.  
 Deniq; perditio uel lesio nulla manebit,  
 Monte super sancto domini, tuta omnia circum.  
 Nanq; redundabit pleno uelut equore tellus  
 Cognitione Dei, que profluet omnia replens,  
 Diluuiumq; feret fines caeleste per omnes.  
 Hinc aeterna quies ueniet, pax atq; perennis.  
 Talia uenturo miracula tempore fient,  
 Ut radix Isai, multos obscura per annos  
 Que fuit, asurgens populis uexilla ministret  
 Inclita, proponatq; ducem per cuncta sequendum.  
 Hanc gentes quarent, exultabuntq; reperta,  
 Firmaq; spes cunctis populis ponetur in illa,  
 Ortus ab hac fructus summo requiescet honore.  
 Hinc iterum dominus dextram proteget amicam,  
 Reliquias plebis cumulans e gente relicta,  
 Que seruata malis ex hostibus undiq; mansit,  
 Assyrijs, Pharijsq; simul, Maurijsq; recoctis,  
 Persarumq; manu, Sinearq; & Hamatide dextra.  
 Et quaecunq; iacet lato maris insula ponto,  
 Vexillum dominus gentes tunc mittet in omnes,  
 Congeret ut profugos ex Israele reducens,  
 Dispersosq; domus iuda compellat in unum,  
 Quattuor educens terrarum partibus omnes.  
 Tunc odium uetus Ephraimi cessabit, & hostes  
Exit

## DE CHRISTO.

Extirpabantur quondam regnantis Iuda,  
Iraque nulla super, discordia nulla manebit.  
Ambos sed populos concordia firma ligabit.  
Iamque Philistinos ambo uertentur in hostes,  
Solis ad occasum uiftricia signa mouentes,  
Et spolia eripient sub primo habitantibus ortu.  
Victus Edom, uictusque Moab sua brachia tendent,  
Ammonidumque genus summo parebit honore.  
Tunc maris Aegypti domino damnabitur unda,  
Emittensque manus summa uirtute potentem.  
Flamine uentorum latices sicca bit aquarum,  
Quaque prius fluxit septeno gurgite Nilus,  
Hac transire uiris sicco perone licebit,  
Nauigij non usus erit remique per undas,  
Quilibet ingrediens siccas calcabit harenas.  
Semita tum populis fiet, quicumque supersunt  
Assyriae quondam pugnaci e gente relictis,  
Accidit ut quondam generi Israelis, euntes  
Quando recedebant Pharijs e finibus illi,  
Per mare diuisum uestigia sicca mouentes,  
Spectantesque retro submersum fluctibus hostem:  
Talis erit sanctae uentura redemptio gentis.

✠.

X

2

DI-



# DISTICHA EVANGELI

LIORVM DOMINICALIVM

per anni circulum, iuuãde memoria  
causa condita ab Aemilio.

DOMINICA I. ADVENTVS.

Rex tuus ecce uenit tibi filia pulchra Syonis,  
Pectore mansuetus, pauperiemq; ferens.

DOMINICA II.

Signa refert Christus mundi sub fine futura,  
Tumq; pios uultus tollere ad astra iubet.

DOMINICA III.

Discipuli qui sis quærun't te Christe Ioannis,  
Hinc referunt ueri cognita signa Dei.

DOMINICA IIII.

Legati ueniunt Baptistam ex urbe rogantes:  
Se domino reddit uoce parare uiam.

NATALIS DOMINI.

Ob nostram Caro fit Verbum cæleste salutem,  
Atq; Deus iunctum nomen homoq; tenet.

HISTORIA NATIUITATIS.

Nascitur in stabulo Maria de uirgine Christus,  
Agnoscent dominum hos asinusq; suum.

DOMINICA. I. POST NATALEM.

Venturos casus Symeon tibi uirgo recenset,  
Multaq; cum letis tristia mixta monet.

CIRCUNCIO DOMINI.

Paruula scinduntur pueri præputia Christi,  
Nomen & è cælo suscipit antè datum.

EPI

EPIPHANIAE FESTVM.

Ecce ferunt Christo terni tria munera Reges,  
Aurum, thus, myrrham. supplice quisq; genu.  
\* Aurea sunt Regni, sed Myrrhea dona sepulchri,  
Thura Sacerdotis symbola certa gerunt.

BAPTIVS CHRISTI.

Filius in fluuio dum stat, Vox patris ab alto  
Intonat, & summa spiritus arce uolat.  
\* Intonat è caelo Genitor stat Natus in unda.  
Quem super alato spiritus ore uolat.

DOMINICA I. POST EPIPHANIAS.

Dum redeunt Christi Solymis post festa Parentes,  
Ille manens templo caelica iussa docet.

DOMINICA II. POST EPIPHA.

Gaudia coniugij Christi praesentia firmat,  
Vinaq; mutatis efficiuntur aquis.

DOMINICA III. POST EPIPHAN.

Sordida lepra uirum Christo sanante relinquit:  
Et miranda fides Centurionis adest.

DOMINICA IIII. POST EPIPHA.

Horrida tempestas socios conturbat Iesu,  
Imperio uentos submouet ille suo.

DOMINICA V. POST EPIPHAN.

Triticeas inter crescit zizania fruges,  
Tempore sub flammis conijcienda suo.

DOMINICA SEPTVAGESIMAE.

Faelices nimium colitur queis uinea Christi,  
Aequa laborantes praemia nanq; ferent.

DOMINICA SEXAGESIMAE.

X 3 Quat-

Quattuor in partes ceciderunt semina campi.

Quarta tulit fructum: tres periere, bonum.

DOMINICA QVINQVAGESIMAE.

Ascendens Solymam mortem praedicat Iesus

Ipse suam, caeco restituitque diem.

DOMINICA INVOCAVIT,

In deserta uenit Christus, tentatur ab hoste,

Qui mox uictus abit, uictor et ille manet.

DOMINICA REMINISCERE.

Fit domino supplex mulier Cananea, suumque

Impetret ut uotum, sustinet esse canis.

DOMINICA OCULI.

Eicit e muto sathanam uirtute potenti

Christus, et hostiles reprimat ore sonos.

DOMINICA LAETARE.

Exiguo multos Christi benedictio pascit,

Ille sed in montem regia sceptrata fugit.

DOMINICA IUDICA.

Dum se maiorem Christus profitetur Abrahamo,

Ad iactum lapides impia turba leuat.

DOMINICA PALMARVM.

Terga premens asini Dauidica moenia Christus

Ingreditur, templo quassa flagella sonant.

VNCTIO CHRISTI.

Fert alabastro manu mulier, Christumque perungit

Illius et mortem facta per ista notat.

COENA DOMINI.

Instituit coenam de carne et sanguine Christus

Ipse suo mandat, discipulisque frui.

LOTIO PEDVM A COENA.

Abluit

Abluit ipse pedes sociorum Christus, & illos  
Inseruire humili sic queng; corde iubet.

4 Discipulis dominus plantas abstergit, & ipsos  
Præcipit inter se talia facta sequi.

DOMINICA PASCHAE.

Tres ueniūt Mariæ, quò Christi membra perungāt  
Mortua: sed uiuum nuncius Ales ait.

FERIA II. PASCHAE.

Discipulis binis peregre se iungit Iesus,  
Dum frangit panem, cognitus ille fuit.

FERIA III. PASCHAE.

Improuisus adest socijs, pacemq; precatur  
Christus, & accepto se probat esse cibo.

DOMINICA QVASI MODO GENI.

Ianua clausa manet, per quàm tamen intrat Iesus.

Infirmam Didymi corrigit inde fidem.

MISERICORDIA DOMINI.

Pro grege non dubitat uerum succumbere pastor,  
Conductus precio sed fugit ora lupi.

4 Pascit oues Christus per sacri pabula Verbi,  
Pro quibus est se uam promptus adire necem.

DOMINICA IUBILATE.

Discipuli domino tristes abeunte futuri,  
Solamen matris parturientis habent.

\* Discessu terret, reditu solatur Iesus  
Discipulos, mundi gaudia præq; refert.

DOMINICA CANTATE.

Christus abit, socijs qui consoletur, ab alto  
Missurum spondens: arguet ille malos.

VOCEM IVCVNDITATIS.

Præcipit, orari promissaq; iungit Iesus  
Euentura pijs nomine cuncta suo.

ASCENSIO CHRISTI.

Ad patrium Christus scandit sublimis Olympum  
Discipuli in fines totius orbis eunt.

DOMINICA EXAVDI,

Spiritus adueniet uerax, testisq; futurus,  
Discipulos ferro mundus & igne premet.

IN DIE PENTECOSTES.

Si quis amat Christum uerè, mandata tenebit  
Ipsius, & tales munera pacis habent.

MISSIO S. SPIRITVS.

Spiritus æthereo socijs illabitur igne,  
Qui uarijs linguis cælica uerba sonant.

FERIA II. PENTECOSTES.

In patre quantus amor mundi sit, noscitur inde  
Quod dedit huic Natum pigra summa summi.

FERIA III. PENTECOSTES.

Ianua cùm soli superi sit Christus ouilis,  
Fur erit hic, aliud qui sibi querit iter.

DOMINICA S. TRINITATIS.

Que noua sit Christus fide generatio monstrat,  
Quæ sola superas detur adire domos.

✠ Christe doces qua possit homo ratione renasci,  
Aenea serpentis tum simulachra refers.

DOMINICA I. POST TRINI.

Lazarus ante fores Ditis iacet ulcere plenus,  
At misero paruam nemo ministrat opem.

Dives

*Diues ob immites animos cruciatur Averno,*

*Lazarus in caelo gaudia uera capit.*

DOMINICA II. POST TRINI.

*Iudaei ad coenam domini Gentesq; uocantur,*

*Non ueniunt illi, turbaq; pauper adest.*

DOMINICA III. POST TRINI.

*Ex ouis amissi simili nummoq; reperto.*

*sefe etiam infirmis Christus adesse docet.*

DOMINICA IIII. POST TRINI.

*Commemorat caecum caeco ductore cadentem,*

*Festucamq; oculi comparat atq; trabem.*

DOMINICA V. POST TRINI.

*Retia mandato domini mittuntur in undas,*

*Maxima diuino munere praeda uenit.*

† *Fortunat nostros benedictio sancta labores,*

*Qua sine conatus irritus omnis erit.*

DOMINICA VI. POST TRINI.

*Damat iusticiam Phariseae gentis Iesus,*

*Que foris apparet, sed nihil intus habet.*

DOMINICA VII. POST TRINIT.

*Mille quater septem satiantur panibus, inde*

*Reliquias mense septima sporta capit.*

DOMINICA VIII. POST TRINI.

*Praecipis ut falsos caueamus Christe Prophetas,*

*Quos foris inquis oues, intus at esse Lupos.*

DOMINICA IX. POST TRIN.

*Motus ab officio sibi dispensator iniquus*

*Prospicit, atq; minus scribere queng; iubet.*

DOMINICA X. POST TRIN.

X S Tristia

Tristia deplorat Solymarum funera Christus,  
Venturūq; cupit pramonuisse mali.

DOMINICA XI. POST TRINI.

Iusticiam iactat propriam Phariseus ad aram,  
Seq; reum pulso corde Telonus agit.

DOMINICA XII. POST TRINI.

Suspicit in cælum dominus, surdoq; prehenso,  
Auxilij letam fert miseratus opem.

DOMINICA XIII. POST TRINI.

Christus ab exemplo latronum uerbere cæsi,  
Quis soleat nobis proximus esse, docet.

\*Seminecem linquunt hominē nudumq; latronis,

Hunc Samaritanus repperit atq; iuuat.

DOMINICA XIII. POST TRINI.

Lepa decem te Christe uiros curante reliquit,  
Ex illis grates omnibus unus agit.

DOMINICA XV. POST TRINI.

Nemo potest æquē dominis seruire duobus,  
Curāq; nil prodest destituyente Deo.

DOMINICA XVI. POST TRINI.

Filius ad uitam uiduæ reuocatur, & illi,  
Redditur à Christo, totaq; turba stupet.

† Filius effertur uiduæ spes unica matris,  
Suscitat hunc natus uoce potente Dei.

DOMINICA XVII. POST TRINI.

Hydropicum sanat Pharisei Christus in eade.

Accubitus primos inde cauere iubet.

DOMINICA XVIII. POST TRINI.

Queritur à Scribis mandatum quod sit Iesus

SUMM.

*Summum, de Christo rursus & ille rogat.*

DOMINICA XIX. POST TRINIT.

*Qui miser in lecto paralyticus antè iacebat,*

*Incolimis Christi munere factus, abit.*

DOMINICA XX. POST TRINI.

*Coniugij festum nato rex apparat, inde*

*Ingratos ferro perdit & igne cremat.*

DOMINICA XXI. POST TRINIT.

*Regulus ad Christum ueniens ex urbe Capernáum*

*Liberet ut natum febris ab igne rogat.*

DOMINICA XXII. POST TRINI.

*Debita donantur seruo, mox clauditur idem*

*Carcere, conseruo quòd nimis asper erat.*

DOMINICA XXIII. POST TRINI.

*Nomine Caesarèi census tentatur Iesus:*

*Dat responsa malis irreprehensa uiris.*

DOMINICA XXIII. POST TRIN.

*Suscitat à fato natam primatis Iesus,*

*Fimbria profluumq; in uulnere leuat.*

DOMINICA XXV. POST TRIN.

*Observare iubet Danielis uerba prophete*

*Christus, in extremos uera futura dies.*

DOMINICA XXVI. POST TRINI.

*Iudicium Christus celebrans discernet ab agnis*

*Innocuis hircos, sordida monstra, malos.*

DISTICHA EVANGELIORVM

*Festiuorum, memoria seruientia.*

AN-



ANDREAE APOSTOLI

Esse Dei uerum caelo qui uenerit Agnum,  
Te Baptista pio gutture Christe sonat.  
Retia dimittunt, Christum cupidiq; sequuntur  
Andreas fratres mente Symonq; pares.

THOMAE APOSTOLI.

Viueret non credit Didymus post funera Christi,  
vulneribus donec discit habere fidem.

STEPHANI PROTOMARTYRIS.

Vt crudelis erit Christi Iudæa Prophetis,  
Sic tandem pœnas gens scelerata dabit.

† Obruitur Stephanus coniecti uerbere saxi,  
in caelo Christum iam moriensq; uidet.

IOANNIS EVANGELISTAE.

Petre sequi Christum diuina uoce iuberis,  
Quamuis de charo multa Ioanne rogas.

† Præcipitur Petro Christum sine lite sequatur,  
Sollicitum frustra sed tamen alter habet.

INNOCENTVM PVERORVM.

Sæuit in infantes miseros crudelis Apella,  
Et tamen euentu, quod cupit ille, caret.

EPIPHANIA BAPTISMATIS.

Suscipiens Christus manibus Baptisma Ioannis,  
Consecrat exemplo sancta lauacra suo.

CONVERSIONIS PAULI.

Premia quæ reddat socijs sectantibus ipsum,  
Queritur à Petro Christus, & ampla refert.

\* Qui modò Saulus erat Christi seuisimus hostis,  
Paulus fit fidei doctor in orbe nouus.

PVRI

PURIFICATIONIS MARIAE.

A genetrice sua Christus defertur ad aram,

Parq; columbarum debita sacra facit.

MATTHIAE APOSTOLI.

Ignorant magni mysteria calica, paruis

Sed Pater aternus talia nosse dedit.

\* Discipulis Christi Matthias iungitur, atq;

Munus Apostolicum sorte ferente capit.

ANNUNCIATIONIS MARIAE.

Nuncia uirgo tibi fert angelus aethere summo,

Quod genitrix Natum sis paritura Dei.

PHILIPPI ET IACOBI APOSTO.

Vnus es aeterno Natus cum Christe parente:

Illum, te uideat, noscere quisquis auet.

MARCI EVANGELISTAE.

Informat socios, qua sit ratione precandum,

Et monet in caelo pondus habere preces.

CORPORIS CHRISTI.

Aeternae cibus est uita caro uiuida Christi,

Illius & sanguis pocula uera facit.

NATIVITATIS IOANNIS BAPTIS.

Elisabetha parit sanctum grandaeva Ioannem:

Eloquio gaudet iam redeunte pater.

PETRI ET PAVLI APOSTOLORVM.

Quod patris aeterni soboles sis Christe fatetur

Ore pio Petrus, donaq; clauae capit.

VISITATIONIS MARIAE VIRGI.

Adueniens peregre cognatam Virgo salutat,

Atq; Deo laudes carmine grata canit.

† Hospi-

4 Hospitio gaudens capit Elisabetha Mariam,  
Subsilit in grauida qua ueniente puer.  
DIVISIONIS APOSTOLORVM.  
Bis senos pariter socios emittit Iesus,  
Ut domui Israël dogmata prima ferant.  
MARIAE MAGDAENAE.  
Hospes adest mensæ Pharisei Christus: at illum  
Irrigat unguento fœmina salua fide.  
IACOBI MAIORIS APOSTOLI.  
Magna nimis poscit Zebedæi munera coniunx  
Pro geminis natis, cassaq; uota manent.  
VINCVLORVM PETRI APOSTOLI.  
Angelus educit regali carcere Petrum,  
Ille refert socijs, ante diemq; fugit.  
LAURENTII MARTYRIS.  
Nullum grana solent Cerealia gignere fructum,  
Ni prius iniecta ceu moriantur humo.  
ASSUMPTIONIS MARIAE.  
Munera sectantur gemine diuersa sorores,  
Quippe domum curat Martha, Maria Deum.  
BARTHOLOMAEI APOSTOLI.  
Discipulis mundi prohibetur una potestas,  
Pro qua seruitij ferre iubentur onus.  
DECOLLATIONIS IOANNIS BAPTISTAE.  
Amittit uitam, scorto faciente, Ioannes,  
Innocuum seuo ceditur ense caput.  
NATIVITATIS MARIAE.  
Progeniem Christi memorat Mattheus auitam,  
Hic Abraham primus Isai desq; tenent.

MAT

MATTHAEI APOSTO. ET EVANGELI.

Vestigal Matthee Deo mandante relinquit,

Atq; illum leto suscipis hospicio.

MICHAELIS ARCHANGELI.

In medio sistit puerum praeceptor Iesus,

Huic uult discipulos simplicitate pares.

SYMONIS ET IYDAE APOST.

Præmonet in mundo, qua sint ratione ministri

Tractandi Christus, ne mala mira putent.

OMNIVM SANCTORVM.

Monte sedens Christus uite quæ signa beatæ

Explicat, & socios aspera ferre iubet.

OMNIVM ANIMARVM.

Tempus erit quo turba Dei, quæ mortua dudum,

Accipiens uocem membra leuabit humo.

Premia tum reſtis, pœnæ reddentur iniquis,

Et sua, quæ meruit, munera quisq; feret.

S. MARTINI EPISCOPI.

Mortales uigilare iubet, non stertere, Christus

Obruat incautos ne metuenda dies.

S. NICOLAI EPISCOPI.

Creditur utendum seruis præ grande talentum,

Vt domino lucrum, dum redit ille, parent.

CONCEPTIONIS MARIAE.

In somnis monitus Mariam traducit Ioseph

In patrias ades suspicioq; cadit.

DEDICATIONIS TEMPLI.

Paruulus ascendit ficum Zachæus in altam,

Vt uideat Christum, qui tamen hospes adest.

COM-

COMMUNE APOSTOLORVM.

Aſidue nobis Deus eſt per uota rogandus,  
Ne deſit meſi turba miniſtra ſua.

COMMUNE MARTYRVM.

Esſe iubet cautos ſocios, uelut anguis, Ieſus,  
Atq; columbarum ſimplicitate pares.

COMMUNE CONFESSORVM.

Esſe ſalem terræ ſocios & lampada mundi,  
Luceat ut uerbum, uitaq; Chriſte iuber.


COMMUNE VIRGINVM.

Quinq; ferunt oleum cum lampadis igne puellæ,  
Sed totidem ſegnes ianua clauſa manet.

CONCLUSIO DISTICHORVM.

Si quis erit forſan, quem Diſticha noſtra iuuabunt,  
Temporis huic tanquam Ciſio Ianus erunt.

TEA.



M.


M.

ne,

M.

bunt,

st.



19 Wagt 18. pc  
Wagt 18. pc  
Graf von S...


18. pc  
Graf von S...  
18. pc  
Graf von S...

Graf von S...





DOMINUS DAVID RECTOR  
FINE INTRA VIGINTI ANIS  
RVOTVOCVLACRAMETV



Th  
5831